QUAESTIONIS
DE
PACE QUAE FERTUR CIMONIA
EPICRISIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI MENSIS JANUARII ANNI MDCCCLXX
PUBLICE DEFENDET

GUILIELMUS WIEGAND
HERSFELDENSIS.

MARBURGI.
TYPIS C. L. PFEILII.

PRAECEPTORIBUS SUIS SUMME REVERENDIS

JULIO CAESAR

PHILOS. DR, PHILOLOG. ET ELOQUENT. P. P. O.

LEOPOLDO SCHMIDT

PHILOS. DR., PHILOLOG. P. P. O.

HUNC LIBELLUM GRATI ANIMI TESTIMONIUM
VULT ESSE

AUCTOR.

Omnibus fere temporibus et apud omnes gentes multa occurrunt exempla, quae plane perspicuum nobis reddunt, pariter ut universis populis ac singulis hominibus, sic etiam quibusdam familiis certa quaedam natura proposita esse, quibus persequendis omnem aetatem suam consumant. Atque cum semper et ubique accidere videas, ut a quo perficiendo opere pater, morte oppressus, fuerit impeditus, id non numquam a filio postmodo summo cum studio iterum suscipiatur, haud scio an id hominis ingenio insitum esse merito dixeris, ut filii in consiliis patrum exigendis persaepe salutem suam quaesiverint. Quod magis etiam de eis statuere videtur necessarium, quibus cuiusvis generis difficultates expediendae magnaeque osorum et adversariorum greges superandae erant, prius quam eis aggredi liceret quod sibi proposuerant. Satis est, quamvis multa alia exempla addi possint, Cimonem afferre, qui a viro iuvene usque ad extremum spiritum nihil antiquius habuit, quam ut bellum contra Persas a Miltiade patre tanta gloria gestum continuandum curaret. Neque eo administrando filius patre indignum se praestitit, sed et ipse summum honorem adeptus est, cum Persis Eionem eripuisset et multo etiam magis, cum splendidissimam illam victoriam apud Eurymedontem de copiis navalibus atque terrestribus reportasset. — Sed utcunque Atheniensibus profuisset, si hostes, tum maxime confectos, continuo insequi potuissent, tamen ex regionibus illis recendendum erat, cum ante omnia id spe-

ctandum esset, ut Thasios eo ipso tempore defectos in potestatem suam redigerent. Teneamus igitur post victoriam Eurymedonteam bellum contra Persas aliquamdiu interruptum esse. — Non attinet hoc loco singillatim persequi, quibus rationibus Cimonis apud Athenienses opinio infracta fuerit quoque modo Pericles e certamine excesserit superior: Cimon denique, cum rei publicae salus in discrimen venisse videretur, expulsus neque tamen ita multo post de exsilio revocatus est. Vix in patriam cum rediisset, omni modo memoriam gloriae ex bellis Persicis partae renovare studebat, atque eo potissimum auctore bellum cum populis finitimis compositum est et cum Spartanis induciae quinquennales factae. Jam vero Cimon omnibus viribus contendebat atque elaborabat, ut bellum contra Persas gerendum certo decerneretur ipseque classi ducentarum navium praeficeretur. Quo et ipso impetrato omnia felicissime cedere videbantur, cum ille paucis mensibus post morbo oppressus subito in Cypro insula mortuus est; eius milites victores quidem terra marique fuerunt apud Salamina, sed extemplo domum reverterunt, quo facto bellum contra Persas desiit.

Patet igitur, cum a rerum scriptoribus pacis tunc temporum cum Persis initae mentio fieret, in dubium facile vocari potuisse, utrum post pugnam Eurymedonteam an Salaminiam pactum fuerit, nec minus in propatulo est, prorsus diverso ac fere contrario modo pacis conditiones describi necesse fuisse, prout quis aut prius aut posterius eam constitutam esse poneret. Cum iam id alicui dubium moveret, quod de una eademque re tam varie proderetur, multo magis offendi ac prorsus ad negandam illius pacis veritatem impelli debebat, qui gloriosiores conditiones referret ad pacem post bellum Cyprium factam, aut qui minus gloriosas impetratas esse putaret post victoriam illam illustrissimam, a Cimone in Pamphylia reportatam. Itaque artissime cum ipsius rei ratione cohaeret, quod antiquis et recentioribus temporibus viri docti in sententias discesserunt tam contro-

versas, qualem pacem convenisse statuerent. Sed utcunque saepe et a sagacibus hominibus de huius pactionis vi disputatum est, tamen rem minime adhuc in liquidum perductam esse facile cognoscet, qui qualis nostro tempore huius quaestionis sit status, cognitum habet. Quod ut facilius perspiciatur, quam diverse huc usque de hoc argumento disceptatum sit, breviter complectar. — Dahlmannus [1]) et Kruegerus [2]) Mitfordium secuti pacem Cimoniam umquam factam esse negabant et praesertim Kruegerus, subtilissima argumentatione usus, eam non nisi ex narratiunculis rhetorum panegyricorum plane commenticiis profectam esse sibi aliisque plerisque persuaserat, cum Georgius Grotius in historia Graeca [3]) pacis veritatem defendere conatus est. Qui eo plures ad suas allexit partes, quo minus in aliis rebus, quae a veteribus scriptoribus prodita essent, nimis confidenter crederet, quo igitur plus eius viri iudicio unusquisque attribuendum censeret ponderis. Denuo de fontium ratione et de argumentis ex rerum historia petendis homines docti sciscitari susceperunt eo ipso tempore, cum pax iam in omnem posteritatem ad fabulas temere fictas relegata esse videbatur. Quod cum fieret, in dies plures exsistebant, qui doctissimum Anglum non inconsiderate dubitasse agnoscerent, inter quos ne C. F. Hermannus [4]) quidem dedignatus est in hac re Grotii, alias multum a se impugnati, sententiam sequi. Accurate utriusque partis argumentis examinatis cum Herm. Hiecke [5]) evicisset, pacem quandam nec vero eam, quam oratores seculi IV praedicarent, convenisse, statim anno sequenti Aemil. Bemmannus [6]) prodiit, ut cum Grotii, tum

1) Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte. 1822. pp. 1—148. 2) Histor. philol. Studien. I. p. 74 sqq. — 3) History of Greece by George Grote, Esq. 1848—56. vol. V. p. 451 sqq. — Vers. Germ. (Lipsiae 1850 —57) vol. III. p. 260 sqq. — 4) Lehrbuch der griech. Staatsalterth. ed. 4. §. 39. N. 7 p. 134 sqq. — 5) De pace Cimonica. Diss. inaug. philol. Gryphiswld. 1863. — 6) Recognitio quaestionis de pace Cimonica. diss. inaug. phil. Gryphisw. 1864

Hieckii sententiis dubitationem moveret pacique omnem fidem derogaret; socios de pace dubitationis adeptus est proximo anno viros amplissimos E. Curtium[7]) et Guil. Onckenium[8]). Quod quomodo Aem. Muellerum[9]) impulisse videtur, ut rursus[10]) pacem Cimoniam tueretur, sic etiam mihi miram quandam iniecit cupiditatem, ut et ipse investigarem, qui fieri posset, ut de eadem re sententiae tam controversae afferentur. Ex rei autem natura satis consentaneum est, me potissimum versatum esse in eis, quibus omnia adhuc de hoc loco prodita continerentur, Hieckii et Bemmanni libellis, quippe quorum alter alteram sequeretur sententiam. Sed qnod non minus ab eis, quam quod ab aliis in utramque partem disputatum erat, cum accurate mecum reputarem, eo postremo firmiter inclinavit animus, ut pacem nullo pacto dubitationem ferre vel persuasissimum haberem. Maxime vero offensus sum eis, quae Bemmanuus contra Hieckium — cum illo enim potissimum ei res est, ut ipse fatetur — protulit. Multum quidem abest, ut merito quempiam Hieckii placitis hic illic sollicitari negaverim, attamen severissimus censor longius mihi processisse videtur cum in eis, quae Hieckio itemque Muellero exprobavit, tum in eis, quae de ipsa pacis conditione coniectavit, eodem fere relapsus, unde Dahlmannus et Kruegerus circiter triginta annis ante egressi erant. Num vero, quicquid Grotius aliique viri docti probarunt, tam vile, tam infirmum, ut recte quis, quae recentiores refutarunt, retinere videatur? Num ei, qui proximis annis magis magisque pacis probabilitatem augere studuerunt, tam egregie falsi sunt, ut quae tanta opera elaborarunt, prorsus neglegamus necesse sit? Num denique

---

7) Griech. Geschichte. ed. 2. 1865. vol. II. p. 167 sqq. c. adn. 60. p. 746 sq. — 8) Athen u. Hellas. 1865. pars II. p. 131 sqq. — 9) in programmate gymnasii Fribergensis 1866. pars I. Alteram partem hoc anno in lucem editam esse audivi, sed ne summa quidem opera data mihi licuit eam inspicere. — 10) Jam prius sententiam de pace brevi praeciderat in Mus. Rhen. vol. XIV. 1859. p. 151 sqq.

Bemmannus re vera id assecutus est, ut omnia, adhuc ad pacis fidem sustentandam a viris doctis exhibita, nihili facienda ostenderet? — Quas interrogationes si quis sibi proposuerit, quanti momenti sint, haud opinor id vituperii in me conferet, quod operam subeam inutilem et vix tanto labore dignam. — Neque ipsius materiae vis et gravitas ea est, quae quaestionem iterari non sinat. Agitur enim de hac re haud levi, utrum Athenienses eam reapse meriti sint, quam tanta semper iactatione prae se ferebant gloriam, quod nunquam Graecorum, oram Asiaticam accolentium, commodis defuerint, an omnino nihil obnixi, populares Persarum oppressionibus regisque magni arbitrio plane prodiderint.

Quibus praemissis, ad ipsam disputationem accessuri, quo ordine totum argumentum optime explicetur, si quaeramus, non possumus, quin, quod iam Bemmannus fecit, maxime probemus rationem ab Hieckio in dissertatione initam. Ita igitur maxime placet totam quaestionem amplecti, ut ab historia pacis profecti, quando, tum quomodo, denique a quo pacem conciliatam esse veri sit simile, ostendamus.

I.

De testimoniis veterum scriptorum agitur.

Prius quam scriptorum, qui pacis mentionem fecerunt aut non fecerunt, qualis auctoritas sit, examinemus, id in universum monendum videtur, et mihi[11]) maxime probari eam, quam primus Hieckius[12]) convenisse statuit, pacem scilicet mercatoriam nec eam quam oratores panegyrici seculi IV tamquam singulare Atheniensium gloriae testimonium laudibus in coelum tollere solerent. Namque inde tantum et vix aliter declarari poterit, quod apud priores, ipso pacis tempore viventes rerum scriptores, nullum fere eius mentionis

11) Hieckii rationem laudat inter alios censor anonymus in H. de Sybel „historische Zeitschrift“ 1864. vol. XI. p. 189 sqq. — 12) l. l. p. 4. p. 41 sqq.

deprehenditur vestigium. Neque vero ea sola est silentii excusatio, sed aliae accedunt causae, quarum suo quamque loco adiicere melius videtur esse.

Primus igitur in censum venit Charon Lampsacenus, qui quod pacis memoriam omisit, minime eius momenti est, quod ei afferre Kruegerus[13]) aliique voluerunt, cum illum tunc iam aliquamdiu ex vita discessisse probabilissimum sit. Kruegerus autem et qui cum eo consentiunt ideo potissimum Charonis silentium tanti fecerunt, quod sententiam plurimorum scriptorum secuti pactionem anno fere 469, post pugnam Eurymedonteam, initam esse computarunt, quod quantum a vero recedat infra demonstrabitur. — Quid, quod idem vir doctus Hellanicum Lesbium pacem ignorasse inde effecit[14]), quod Plutarchus, qui quomodo pacem re vera conciliatam esse demonstrare posset, studiosissime perscrutaretur, eum non inter testes suos exhibuit? Quod argumentum, me quidem iudice, ut Kruegeri sententiam confirmet, tantum abest, ut contra eum valeat. Hoc enim peculiare et proprium est Plutarchi in testibus afferendis, quod, quos scriptores se maxime sequi initio professus est, postea tum modo commemorat, si quod sibi ipsi maxime placet improbant. Ex hac igitur consuetudine potius exspectandum est, Plutarchum Hellanici testimonium non proferre, nisi ut aliam et eam quidem prorsus diversam ab illo laudari significet sententiam, quippe cum eum in his temporibus persequendis praecipuum suum testem exhibuerit. Quod cum ita sit, equidem potius ab Hellanico de hac pace mentionem factam esse statuerim. — Similiter fere res se habet de eo, quod Ctesias pacis istius non meminit. In quo et ipso Plutarchi silentio non nimium tribuendum est, nec magis valet, quod in Photii excerptis, ex illius libris de rebus Persicis compositis, eius rei nullum occurrit vestigium. Fieri enim perfacile poterat, ut Photius, quem gravissima tantum ex illius libris elegisse

13) p. 84. — 14) l. l.

consentaneum est, eiusmodi pacem, quae accuratius consignaretur, indignam putaret. Sed ut in ipsis Ctesia scriptis hoc foedus neglectum sit, vix tamen quaestionem eius silentio dirimi dixeris, nisi forte infitias ibis, apud Eurymedontem et Salamina Cypriam conflictum aliaque multa ad totam horum temporum periodum pertinentia re vera facta esse.

Difficilius magisque intricatum est diiudicare, quid de Thucydide huius pacis, ut videtur, prorsus nescio censendum sit. Multifariam viri docti inter sese disputarunt, utrum eius fuerit necne, pacem commemorare in digressione, quam fecit a proposito inde a capp. 89—117, res a Xerxis expeditione usque ad bellum Peloponnesiacum gestas amplexus. Diverso modo cum illi explicaverint locum, quo Thucydides ipse accurate circumscripsit, quid sibi tractandum proposuerit in illa historiae parte indeque cum omne iudicium pendeat et de ipso Thucydidis consilio et de hominum doctorum dissensione, verba apponimus integra. Scriptor igitur digressionis argumenta haec affert[15]): „*ἔγραψα δὲ αὐτὰ καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμην διὰ τόδε, ὅτι τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἅπασιν ἐκλιπὲς ἦν τοῦτο τὸ χωρίον καὶ ἢ τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ ξυνετίθεσαν ἢ αὐτὰ τὰ Μηδικά· τούτων δὲ ὅςπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ Ἑλλάνικος, βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη· ἅμα δὲ καὶ τῆς ἀρχῆς ἀπόδειξιν ἔχει τῆς τῶν Ἀθηναίων ἐν οἵῳ τρόπῳ κατέστη.*“ In quibus verbis interpretandis Kruegerus[16]) atque Hieckius[17]) prorsus diversas inierunt rationes, cum ille quidem ex his verbis historicum id potissimum egisse coniiceret, ut a quibus quasi cunabulis ad quantum fastigium in decursu temporum Atheniensium opes evectae sint commonstraret. Hieckius vero Kruegero adstipulandum esse negat, omnino necessarium fuisse ratus, a Thucydide expugnatam Thraciae oram, transportatum Delo

15) I. 97. — 16) p. 84 sqq. — 17) p. 5 sqq.

Athenas aerarium, deductas colonias et cleruchias commemorari. Ipse potius aliter explicat verba „*ἐν οἵῳ τρόπῳ κατέστη*“: „quale imperium Athenensium constitutum fuerit“. Quam interpretationem qui refelleret defenderetque Kruegeri rationem cum surgeret paulo post Bemmanus [18]), verbis istis hanc subesse significationem affirmans: „quanam ratione Atheniensium imperium exstiterit“, me habuit sententiae sectatorem, quamquam minime laudaverim ea, quibus ille usus est argumenta, cum mihi potius ex eis fere nihil effici videatur ad redarguendum Hieckium. Primum igitur improbat, si scriptor voluisset significare id, quod Hieckius ei affingere vellet, futurum fuisse, ut aoristo tempore uteretur. Immo vero, aoristum quod Thucidides hoc loco adhibuit, facilius aliquem inducere possit, ut Hieckium malit quam Bemmannum sequi. — Neque plus ponderis habet, quod deinde adversarius attulit, ex priore capitis parte evidentissime confirmari, hanc a se initam solam esse rectam viam. Verba ad quae respicit, sunt haecce [19]): „*Ἡγούμενοι δὲ αὐτονόμων τὸ πρῶτον τῶν ξυμμάχων καὶ ἀπὸ κοινῶν ξυνόδων βουλευόντων τοσάδε ἐπῆλθον πολέμῳ τε καὶ διαχειρίσει πραγμάτων μεταξὺ τοῦδε τοῦ πολέμου καὶ τοῦ Μηδικοῦ, ἃ ἐγένετο πρός τε τὸν βάρβαρον αὐτοῖς καὶ πρὸς τοὺς σφετέρους ξυμμάχους νεωτερίζοντας καὶ Πελοποννησίων τοὺς ἀεὶ προστυγχάνοντας ἐν ἑκάστῳ.*“ Unde tale quid consequi, quomodo quis contendere possit, equidem prorsus non perspicio.— Argumentis denique adhuc in medium prolatis cumulum quasi addere sibi visus est Bemmannus, ipsum tamquam sui interpretem producens historicum, quippe qui „relata respiciens“ capite 118 haec proferret: „*ταῦτα δὲ ξυμπάντα ὅσα ἔπραξαν οἱ Ἕλληνες πρός τε ἀλλήλους καὶ τὸν βάρβαρον ἐγένετο ἐν ἔτεσι πεντήκοντα μάλιστα*

18) p 17 sqq. — 19) I. 97. in.

μεταξὺ τῆς τοὺ Σέρξου ἀναχωρήσεως καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦδε τοῦ πολέμου· ἐν οἷς Ἀθηντῖοι τήν τε ἀρχὴν ἐγκρατεστέραν κατέστησαντο καὶ αὐτοὶ ἐπὶ μέγα ἐχώρησαν δυνάμεως." οἱ δὲ Λακεδ. κ. τ. λ. Quod hoc loco Thucydides expressis verbis affirmat, tempore inter bellum Persicum et Peloponnesiacum interposito Athenienses ad summam potestatem elatos esse, inde vix colligendum esse puto, Thucydidem in hoc spatio describendo id ante omnia persecutum esse, ut quae pedetemptim Atheniensium res incrementa fecissent, ostenderet. Neque nimium dixeris, si artificiosius excogitatum longiusque repetitum significes, quod Bemmannus scriptorem in cap. 118 respicere finxit ea, quae in cap. 97 rettulisset, eum igitur, quae ita multo ante dixisset tam accurate in memoria servasse statuit. Sed quamvis de singulis argumentis ab eo viro dissentiam, tamen de ipsa re cum eo mihi omnino convenit: et ipse id quam maxime egisse arbitror Thucydidem, ut quanam ratione Atheniensium imperium exstiterit, illustraret, inde tamen conclusionem efficiens, quod statim insequenti capite, quippe quo credibile sit accuratissime ei ob oculos versatum esse propositum, enumerare incipit, unde degressa sint Atheniensium potestatis primordia; nec non ex eis, quae inferius disputat, illuc potissimum intentum fuisse scriptorem, clare patet. — Pari modo in ea re a Bemmanni sto partibus, quod Hieckium impugnavit de eo potius Thucydidem cogitasse suspicatum, ut „quae Hellanicus admodum breviter et temporum ratione non diligenter adhibita protulisset, accuratius tractaret" [20]). Sed si nulla omnino praeiudicata opinione verba examinamus, id tantum dicere auctor videtur, excursionem a proposito ideo se fecisse, quod omnibus ante se rerum scriptoribus iste locus neglectus esset, persecutis utpote aut quae ante bella Persica Graecorum fuerit ratio, aut de ipsis, quae cum Persis

---

20) p. 6.

fuerint bellis, locutis. Eo magis ergo scriptor sibi operam navandam esse collegit, ut quae Hellanicus et reliqui, quorum intererat, omisissent, ipse resarciret atque compensaret. Jure profecto mireris, si inde quempiam tale quid, quod Hieckius alii [21]) voluerunt, elicere vides. Accedit, quod non solum Thucydidis verba Hieckii interpretationi parum favent, sed etiam — idque magis — vetamur ipsa re ne Thucydidi id imputemus. Num cui probatum erit, fieri potuisse, ut Thucydides paraturus „κτῆμα ἐς ἀεί“ [22]), contentus esset, inspersisse passim neque ordine neque contextu observato, quae ab antecessoribus haud satis diligenter respecta esse videret? Num rursus nobis licebit, suspicari de Hellanico, cum de Dorisco, de aerario Delo Athenas asportato, de foedere Argivorum tricennali, de coloniis atque cleruchiis deductis, de pace ista non fere nisi mercatoria diserte copioseque disputaret, gravissima omnia, quorum mentionem in Thucydidis summario deprehendimus, aut plane silentio praeteriisse, aut mance vitioseque exhibuisse? Quod utrumque cum nullo pacto sit admittendum, de locupletissimi illius auctoris silentio cogitemus necesse erit alio modo et eo quidem satis obvio. Provocare licet in hac re ad ea, quae, prius quam ad testimonia accederem examinanda, in universum praemisi, pacem Cimoniam nequaquam tantam reapse habuisse vim, quantum rhetores postmodo ei affingebant, verum eam de mercatura potius tuenda conciliatam esse. Quid ergo? Pacis mentionem inserere Thucydidis omnino non intererat, quin adeo ab eius proposito plane abhorrebat, quippe ex quo, quemadmodum Athenienses tantas paulatim opes adepti fuerint, ei exponendum esset. Qua ratione, qui Thucydidis silentium non solum excusari, verum potius prorsus ex eius re esse nobiscum [23]) persuasum habeant, defuturos non esse spero. Neque vero facile Bemmanni [24]) quisquam

21) Sybel l. l. p. 191. — 22) Thuc. I. 22 cf. Bemmann l. l. 20. — 23) cf. Sybel l. l. p. 191 sq. — 24) Bemmann p. 21.

assentiatur placitis, qui „de pace cum Persis qualicunque composita ut traderet, vel maxime ex Thucydidis consilio futurum fuisse“ existimat.

Herodotum pacem Cimoniam haud ignorasse eodem fere iure affirmare, eodem negare licet [25]).

Si iam quaeratur, quomodo quod Pindarus et Aristophanes hanc singularem Athenienses praedicandi laudibusque efferendi occasionem tam non captaverint, expediendum sit, eodem revolvamur necesse est, unde omne de veterum scriptorum testimoniis iudicium pendere demonstravimus, statuendum ergo nobis est, vel minime ad eos pertinuisse, de Atheniensium rebus mercatoriis exponere.

Simili ac fere eodem modo existimandum est de altero Andocidis loco [26]), quo Kruegerus [27]) aliquo modo pacis nostrae memoriam desiderat, a quo vero, quin eius rei mentio sat aliena sit, nescio an nullus neget, accuratius totius loci cohaerentia inspecta. Agit enim orator de eo, quantam semper Atheniensibus utilitatem attulerit, quod inter sese concordiam atque concentum observassent: soli concordiae deberi ostendit, quod, quamquam numero inferiores, ei ex bellis Persicis discesserint viribus superiores quodque postmodo civitatum Graecarum imperium impetraverint impetratumque laetissime efflorescens posteris dereliquerint. Cum igitur ex rebus a maioribus gestis tantam sibi partam esse gloriam ac potestatem demonstraret, omnino non attinebat, pacis Cimoniae iniicere mentionem. — Magis profecto dubitationem excitare alicui possit alter locus [28]), apud eundem scriptorem occurrens. Verba sunt haec: „*ἐγὼ μὲν οὖν ἐκεῖνο δέδοικα μάλιστα ὦ Ἀθηναῖοι τὸ εἰθισμένον κακόν, ὅτι τοὺς κρείττους φίλους ἀφιέντες ἀεὶ τοὺς ἥττους αἱρούμεθα καὶ πόλεμον ποιούμεθα δι᾽ ἑτέρους, ἐξὸν δι᾽ ἡμᾶς αὐτοὺς εἰρήνην ἄγειν· οἵτινες πρῶτον μὲν βασιλεῖ τῷ*

25) Quicquid huc spectat accurate inferius explanavi. — 26) de myster. §. 108. — 27) p. 100. — 28) de pace §. 28 sqq.

μεγάλῳ (χρὴ γὰρ ἀναμνησθέντας τὰ γεγενημένα καλῶς βουλεύσασθαι) σπονδὰς ποιησάμενοι καὶ συνθέμενοι φιλίαν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, ἃ ἡμῖν ἐπρέσβευσεν Ἐπίλυκος Τισάνδρου, τῆς μητρὸς τῆς ἡμετέρας ἀδελφός, ταῦτα Ἀμόργῃ πειθόμενοι τῷ δούλῳ τοῦ βασιλέως καὶ φυγάδι τὴν μὲν βασιλέως δύναμιν ἀπεβαλόμεθα ὡς οὐδενὸς οὖσαν ἀξίαν, τὴν δὲ Ἀμόργου φιλίαν εἱλόμεθα, κρείττω νομίσαντες εἶναι· ἀνθ᾽ ὧν βασιλεὺς ὀργισθεὶς ἡμῖν, σύμμαχος γενόμενος Λακεδαιμονίοις, παρέσχεν αὐτοῖς εἰς τὸν πόλεμον πεντακισχίλια τάλαντα, ἕως κατέλυσεν ἡμῶν τὴν δύναμιν· ἓν μὲν βούλευμα τοιοῦτον ἐβουλευσάμεθα· Συρακούσιοι δ᾽ ὅτε ἦλθον κ. τ. λ. Kruegerus [29]) et Dahlmannus [30]) ne hunc quidem locum ad pacem Cimoniam referendam esse fatentur eiusque sententiae sectatore utuntur Bemmanno [31]), qui quidem tres exhibet causas, cur Andocidem his verbis ad eam pacem spectare improbabile sit. Quarum tamen nulla impedire videtur, quominus idpactum respici statuamus. Primum obstare autumavit verbum „*πρῶτον*“, quippe quo clare significaretur, pacem tempore isto compositam haud ita multo post ab Atheniensibus fractam esse. Cum autem ex eodem loco pateat, pacem istam violatam esse Amorge qui a Persarum rege descivisset ab Atheniensibus in fidem recepto, idque multo post annum 449 factum esse inter omnes constet, Andocidi, opinatur, non licitum fuisse, verbo „*πρῶτον*“ ad tempus relegare tam longe recedens. Rectissime sane conclusionem fecit, sed de ipsa ratione, qua id conclusit, cum Bemmanno consentire nequeo. Mihi enim de verbo „*πρῶτον*“ potius in contrariam partem declinat animus, ita ut, quod hoc adverbium plane similiter adhibetur pro olim „einmal“ [32]), existimem spatium temporis

---

29) l. l. p. 100. — 30) l. l. p. 115. — 31) l. l. p. 24. — 32) cf. Papii lexicon s. v. *πρῶτος*. —

quam longissimum inter duo ista facta interpositum fuisse, hac ratione clare exprimi. — Nec pluris fecerim alterum, quod Bemmannus in medium protulit argumentum, ab eo ipso minus atque assolet confidenter pronunciatum[33]). Inde quoque de minori temporis intervallo cogitari, apparere putat, quod in altero enunciationis membro simpliciter dicatur „βασιλεύς", perinde quasi uno eodemque rege imperante foedus pactum atque ruptum sit. Immo contra, si Andocides ad eundem regem utramque rem pertinere significaturus erat, haud dubie, quo id efferetur, si minus pronomen demonstrativum, at certe articulum adiecisset. — Denique Bemmannus inde, quod Epilycus, ac non ut plerumque fit, Callias pacis conciliator perhibeatur, manifestum esse dicit, oratorem ad pacem Cimoniam non respexisse: quippe Epilycum ne ab uno quidem eorum, qui de pace traderent, inter legatos fuisse, nedum legationi praefuisse, commemorari. Merito vero admodum mireris, Bemmannum, quem in aliis rebus Hieckii commentationem tam accurate pernosse clarum sit, hoc quidem loco sententiam ab eo prolatam omnino neglexisse[34]). Atque profecto Hieckius[35]) ita de diversitate nominum disputavit, ut haud facile quisquam, quod ille protulit, refutare queat. Mihi certe plane persuasit, nomen avunculi hoc loco ab Andocide allatum minime alicui offensam praebere posse cum is alias quoque propinquis suis in rebus contrahendis partes tribuat gravissimas, ut e. g. inter eos, qui foedus tricennale cum Spartanis pepigerint nullum perhibet[36]) nisi avum suum, cum Diodorus Calliam et Charetem commemoret[37]). Neque vero Bemmannus, refugium quaerens ex angustiis, quo referret Andocidis verba „tam obscura", eo procedere debuit, ut eum „paululum a vero deflexisse" criminaretur, nullo cum pacto cogitari queat, quid oratoris interfuerit, eam pacem inter Persas et Athenienses initam plane comminisci.

33) l. l. p. 24 sq. — 34) l. l. p. 25. — 35) l. l. p. 11. — 36) eiusd. orat. §. 6. — 37) XII. c. 8.

Andocidem excipiat, qui Menexenum composuit, Plato vel alius quis, de cuius quae huc pertinent verbis vario modo iudicarunt viri docti, sive pacem certis verbis commemorari [38]), sive, quae impetrarint Athenienses, tangi certe aliquo modo [39]), sive denique nulla pacis mentione inserta de rebus tantum factis agi putarunt [40]). De quo ut facilius iudicetur ipsa verba apponam: „*Δίκαιον δὴ καὶ τούτων ἡμᾶς ἐπιμνησθῆναι, οἳ τοῖς τῶν προτέρων ἔργοις τέλος τῆς σωτηρίας ἐπέθεσαν ἀνακαθηράμενοι καὶ ἐξελάσαντες πᾶν τὸ βάρβαρον ἐκ τῆς θαλάσσης. ἦσαν δὲ οὗτοι. οἵ τε ἐπ' Εὐρυμέδοντι ναυμαχήσαντες καὶ οἱ εἰς Κύπρον στρατεύσαντες καὶ οἱ εἰς Αἴγυπτον πλεύσαντες καὶ ἄλλοσε πολλαχόσε, ὧν χρὴ μεμνῆσθαι καὶ χάριν αὐτοῖς εἰδέναι, ὅτι βασιλέα ἐποίησαν δείσαντα τῇ ἑαυτοῦ σωτηρίᾳ τὸν νοῦν προσέχειν ἀλλὰ μὴ τῇ τῶν Ἑλλήνων ἐπιβουλεύειν φθορᾷ. Καὶ οὗτος μὲν δὴ πάσῃ τῇ πόλει διηντλήθη ὁ πόλεμος ὑπὲρ ἑαυτῶν τε καὶ τῶν ἄλλων ὁμοφώνων πρὸς τοὺς βαρβάρους· εἰρήνης δὲ γενομένης κ. τ. λ.*“ [41]). Sermo igitur est hoc loco de eis, qui victoria de Persis ad Eurymedontem reportata, quam iam maiores intenderant, tandem obtinuerunt libertatem, hostibus omnino oppressis atque comminutis. Quod Hieckius [42]) verbis „*ἀνακαθηράμενοι καὶ ἐξελάσαντες*“ eam sibi pacis legem reperire visus est, secundum quam Persae, ne Phaselidem urbem navibus longis excederent vetiti sunt, equidem non intercedo, facile factum esse arbitratus, ut scriptor hanc pacem notaret, cum praesertim inde, quod postea dicit „*εἰρήνης δὲ γενομένης*“, bellum deinde compositum esse, significet se non ignorasse. Neque tamen ausus sim verba ad pacem rite confectam re-

---

38) Schleiermacher in versione sua. cf. Dahlmann. l. l. p 30 adn. ** — 39) Hiecke p. 12 sq. — 40) Krueg. p. 103 sq. Bemm p. 22 sq. — 41) c. 12 sq. — 42) p. 13.

ferre, Moschio [43]) assentiendum esse ratus, qui verbum *εἰρήνη* (articulo omisso) de bello potius finito, quam de pace sancte conciliata adhiberi solere recte monuit. Quam ob rem hunc Platonis locum ita accipio, ut neque de pace Cimonia certum inesse testimonium, neque rursus scriptorem omnino hanc pacem ignorasse, inde colligendum esse existimem. Similiter enim Isocrates in Panegyrico et Panathenaico certi cuiusdam foederis meminit, quo bellum istud ad finem adductum sit, cum in Areopagitico omnes eventus ex bello potius confecto, quam ex pactione solemniter inita derivet, unde patet, eundem scriptorem, prout consilium flagitet, diverso modo unam eandemque rem in medium proferre. Identidem hoc Menexeni loco non tam intererat, expressis verbis disserere de pace cum Persis conciliata, quam quae ad Graecorum conditionem sublevandam de victoriis emanaverint ostendere.

Accedit alius epitaphius, vulgo Lysiae vindicatus, de cuius loco et ipso, quonam referendus esset, in diversas partes discesserunt interpretes. Verba sunt haec: „. . . . . *καὶ τὴν αὑτῶν δύναμιν τοιαύτην ἐπιδείξαντες, ὥσθ᾽ ὁ μέγας βασιλεὺς οὐκέτι τῶν ἀλλοτρίων ἐπεθύμει, ἀλλ᾽ ἐδίδου τῶν ἑαυτοῦ καὶ περὶ τῶν λοιπῶν ἐφοβεῖτο, καὶ οὔτε τριήρεις ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐκ τῆς Ἀσίας ἔπλευσαν, οὔτε τύραννος ἐν τοῖς Ἕλλησι κατέστη, οὔτε Ἑλληνὶς πόλις ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἠνδραποδίσθη· τοιαύτην σωφροσύνην καὶ δέος ἡ τούτων ἀρετὴ πᾶσιν ἀνθρώποις παρεῖχεν.* [41]) — Kruegerus quidem Jacobsium impugnat, hoc loco certissime pacis Cimoniae mentionem fieri arbitratum, atque ideo potissimum eam commemorari negat, quod scriptor nimis incerta pacisque naturae parum respondente dicendi ratione usus sit: „*Wem möchte*“ ait [45]) „*da eine dunkele Andeutung*

---

43) Hieck. adn. 40. — 4) Lys. epit. §. 56 sq. — 45) l. l. p. 102.

genügen, wo die Sache selbst zur glänzendsten Beleuchtung einladet? Wer würde nicht wenigstens etwa folgenden sich von selbst aufdrängenden Gedanken erfordern: „Unter unserer Hegemonie wurde der König, der früher die Freiheit aller Hellenen bedroht hatte, gezwungen die Unabhängigkeit selbst der Asiatischen Hellenen vertragsmässig anzuerkennen.“ Sed talem ut pacis praedicationem desideret, Kruegerus perversa de vera pacis natura sententia commovetur, quam iam supra improbavimus. Nec pluris fecerim alterum, quod contra pacis mentionem attulit argumentum. Tantopere enim quod rex cohibitus esset, opinatur, a scriptore deduci non ex singulis victoriis, verum omnino ex eis, quibus Athenienses Persarum opes infregerint, cum principatum Graeciae tenerent. Sed cum, unde hoc concludatur, non exhibeat vir doctus, vix concesserim recte se habere, quod concluserit.— Bemmannus [46]) deinde ex eis, quae scriptor addat verbis, „τοιαύτην σωφροσύνην καὶ δέος κ. τ. λ.“ „satis apparere“ censet, „eum de pace rite confecta prorsus non cogitasse, sed quae gloriaretur ad metum potius regis, quam ad pactum rettulisse“. Atqui ex mea quidem sententia his verbis explicantur, quae antea per verba „ἐδίδου καὶ ἐφοβεῖτο“ expressa erant, explicatur igitur, quemadmodum fieri potuerit, ut magnus Persarum rex ad paciscendum delaberetur cum Graecis. — Hieckius [47]) denique hoc loco non tam ad ipsum pactum, quam ad posteriorem rerum conditionem provocasse existimat scriptorem, neque in verbis antecedentibus quicquam indicari persuasum habet de pace Cimonia, cum „postquam bellum compositum esset, nihil fuerit, cur rex timeret“. Sed nimius ille fuisse videtur in hac re, ex verbis aliquid enucleans, quod num ipse scriptor eis subiecerit, equidem perquam dubito. Nonne enim fieri et id quidem optime fieri poterat, ut scriptor, qui hoc loco quantopere tunc fractus domitusque fuerit Persarum rex, quam maxime studet de-

---

46) l. l. p. 22 sq. — 47) l. l. p. 12.

scribere, ita rem depingeret, ut eum ne pace quidem inita sollicitudine liberatum repraesentaret? — Equidem, ut iam meam ipsius sententiam prodam, prorsus aliter de hoc loco iudicandum esse puto, satis luculenter de certa quadam pactione ibi agi opinatus. Sed prius improbandum videtur, quod de diversa ratione imperfecti et plusquamperfecti temporis Bemmannus [48]) attulit, hunc fere in modum disputans, „imperfecto tempore statum quendam rerum continuum describi, hanc autem descriptionem in sequentibus ita suppleri a scriptore, ut illis temporibus nihil eorum, quae postea identidem fierent, umquam accidisse affirmet“. Equidem id potius hoc loco inter utriusque temporis notionem intercedere censeo, quod, in quo fere summa totius pacti versatur, imperfecto tempore anteponatur, singula quaeque illustrentur adhibito aoristo, quem quidem usum multo solemniorem esse nemo negabit. Certum autem temporis punctum neque longius spatium respici, inde mihi manifestum videtur esse, cum unde pendeat, quod sequitur „ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ“ habeat necesse sit. Quandoquidem igitur ex istis epitaphii verbis Lysiam, vel qui alius eum conscripsit, pacis Cimoniae conciliationem non ignorasse, merito ni egregie fallor coniectandum est, id modo scrupuli restat, num eum testem magni momenti facere nobis liceat. Quod haud dubie fieri posset, si ante annum 387, ante igitur, quam Lacedaemonii sibi potius ipsis quam communi Graecorum saluti consulentes Atheniensibus glorandi materiam praebuisent, epitaphium illum publici iuris factum esse certis argumentis exploraretur [49]). Antalcidica enim pace composita, nemo non videt, quanto saepius a scriptoribus ad pacem istam respiciatur atque facile observari potest, fere sequenti quoque anno in maius elatum esse, quantam Athenienses de Graecis universis meruerint laudem.

Hic, quem postremo pertractavimus Lysiae locus, maxime

48) l. l. p. 22 sq. — 49) cf. Bemm. l. l. adn. 107.

idoneus est, qui transitum efficiat ab eis testimoniis, in quibus pacis aut non, aut minus luculenter fit mentio, ad ea, in in quibus eam commemorari luce clarius est. Omnibus autem his locis id peculiare interque sese commune esse facile perspicitur, quod in eis, quam veram pacis esse naturam ex aliis rationibus apparet, ea nimis obtegatur atque pervertatur pacique affingantur leges, quas reapse convenisse vel minime veri est simile. Neque tamen statim ab initio, sed sensim ac pedetemptim in decursu temporum scriptores procedunt in depravandis pacis legibus, id quod vel uni eidemque scriptori accidit, Isocrati, quippe qui postremo prorsus alia pacta esse enarraverit, quam quae initio descripserat. In Panegyrico enim nullum exhibet terminum nisi Phaselidem urbem, in eo, quem aliquot annis post composuit, Areopagitico, ut „splendidam efficiat oppositionem"[50]), septentrionalem addit limitem, Halyn flumen; in Panathenaico denique eo progreditur, ut utrumque terminum sancte constitutum fuisse pro certo affirmet. Quamvis igitur facile dederim, in conditionibus pacis magis magisque adaugendis longius processisse cum Isocratem, tum oratores eo posteriores, tamen minime accesserim Kruegeri partibus, cum probare nobis conetur[51]), Isocratem prorsus commentum esse pactionem aliquam convenisse. Contra quod in universum afferre libet Onckenii[52]) verba, quibus et ipsis ille vir ad istam Kruegeri sententiam spectat: *„reine Erfindung"* ait *„ist unmöglich, das ist gegen die Erfahrung, denn der Volksglaube übertreibt wohl und schmückt einen noch so kleinen Kern aus bis zur Unkenntlichkeit, aber ohne ein Korn von historischer Wahrheit kann er nicht sein"*. Verum etiam minus laudandum est, qua ratione doctissimus ille vir suam de pacis origine sententiam confirmare studuit. Ita enim egisse statuit Isocratem in pacis fama comminiscenda: in Panegyrico qui-

50) cf. Krueg. l. l. p. 107. — 51) in capite VI inscripto: „Entstehung — der Friedenssage" etc. p. 101 sqq. — 52) Oncken „Hellas u. Athen" II. p. 141 sq.

dem et Areopagitico eum modestius disputare non nisi de rebus factis, in Panathenaico autem rerum statum ex certa quadam pactione profectum esse, „nonagenarium“ temere hariolari. Sed prorsus collabitur, quod ille vir de fictione pacis sensim propagata ipse finxit, cum in quo totum tamquam argumentationis aedificium posuit, fundamentum prorsus corruat. Quid tandem valet, quod ille scriptorem priore Panegyrici loco (§. 117) negat pacis meminisse, eundem autem paululo inferius certissimis verbis de pactione *(„Verträge“)* cogitasse, non potest non concedere? Verum enimvero plane ut rem largiatur, vix eum adduxeris, qui, quoad fieri possit, tergiversatus miro modo in notionibus verborum *„Verträge“* et *„Friede“* ludit, cuius tamen arbitrii Isocratis elocutio ne minimam quidem ansam praebet. Namque, quo ipse scriptor usus est, verbum „συνθῆκαι“ pari modo refertur ad pacem Antalcidicam et eam, de qua nos agimus Cimoniam. Unde satis, opinor, demonstratur, dubitationis num de pace rite composita oratio fiat, ab ipso scriptore nullum omnino datum esse locum, neque ullo modo admitti posse Kruegeri coniecturam.

Qua confutatione praemissa iam ad singulos locos apud Isocratem obvios devenimus, quorum in contemplatione, quia cum temporibus quasi progrediendum est, oriundum videtur a Panegyrico, anno fere 380 in lucem edito. — Cum orator in capitibus antecedentibus illustraverit, quantum dedecoris atque detrimenti pax Antalcidica a Persis cum Spartanis inita toti Graeciae intulerit, ab altera vero parte, quales Athenienses in Persas fuerint, dein ostendit, principatu ab Atheniensibus ad Spartanos tradito, Persas terra marique in Graecos grassari. Quod ut efficacius demonstretur, in contentionem vocat, qualis fuerit conditio Atheniensibus imperium tenentibus, qualisque, cum Spartani rerum potiti essent, hunc in modum disputans [53]): „μάλιστα δ' ἄν τις

53) l. l. §. 120.

συνίδοι τὸ μέγεθος τῆς μεταβολῆς εἰ παραναγνοίη τὰς συνθήκας τάς τ᾽ ἐφ᾽ ἡμῶν γενομένας καὶ τὰς νῦν ἀναγεγραμμένας· τότε μὲν γὰρ ἡμεῖς φανησόμεθα τὴν ἀρχὴν τὴν βασιλέως ὁρίζοντες καὶ τῶν φόρων ἐνίους τάττοντες καὶ κωλύοντες αὐτὸν τῇ θαλάττῃ χρῆσθαι· νῦν δ᾽ ἐκεῖνός ἐστιν ὁ διοικῶν τὰ τῶν Ἑλλήνων, καὶ προστάττων ἃ χρὴ ποιεῖν ἑκάστους καὶ μόνον οὐκ ἐπιστάθμους ἐν ταῖς πόλεσι καθίστας". Non attinet, quam diverse iudicaverint viri docti, accuratius persequi atque unius cuiusque sententiam subtilius examinare. Verum omne certamen redit ad verba „*τῶν φόρων ἐνίους τάττοντες*" explicanda, unde alius quisque aliam fere exsculpsit sententiam. Omnium primus recte ea interpretatus esse videtur Aemilius Muellerus[54]) tributa, quae urbes regi penderent, indicata esse suspicatus. Cuius rationem, suae ipsius sententiae parum videlicet faventem, cum Bemmannus [55]) refellere susceperit, argumento est usus, quod me certe iudice, prorsus nihil contra Muellerum valet. Profecto enim alio exemplo non opus est, quo probetur, hac ratione de eis vectigalibus dici posse, „quae non daturo imponantur, sed accepturo definiantur". Namque cum toto isto loco disputetur, quemadmodum Athenienses regis potestatem comminuerint et neque de tributis, quae Persae Atheniensibus, neque quae alii populo solvebant, cogitari queat, omnino nihil aliud relinquitur, quam ut de eis, quae accipiebant, agi statuamus. Quod si quis largiatur — nec non largiendum esse reor qui intellegendi sint reditus, haud facile in dubium vocare poterit. Itaque ne minimus quidem scrupulus in me restat, verum omnino mihi probatur, quod Muellerus de interpretatione horum verborum protulit. Sed adiicere licet, quod, quantum scio, nemo adhuc satis dignatus est, nobis ex hoc Isocratis loco certissimum pacis testimonium

54) in mus. Rhen. 1859. XIV. p. 152. — 55) l. l. p. 28.

mutuari licere. Oratoris enim verbis, si non expresse notatur, at certe leviter ac subtiliter datur, nullo pacto ista pace universis Asiae urbibus vectigalium immunitatem concessam esse, sed aliquot tantum fuisse, quibus ne certa quadam summa plus imponeret, vetitus esset magnus rex. Accedit, quod, cum Phaselide urbe utrique populo terminum definitum esse commemoret, ipse orator aperte confitetur Pamphyliae, Ciliciae atque Cypri insulae urbes Persarum regno adscriptas fuisse. Modestius vero Isocratem hoc loco, quam alias assoleat et quam omnino oratorum sit, si quis quod pacis leges exhibuerit miretur, respiciat, certam ei offecisse causam, quominus in singulis, de quibus populi pepigerint, describendis modum excederet. Quid autem obstaculi intercesserit, haud ignoramus, ab ipso oratore de ea re certiores facti. Delegat enim auditores verbis „*παραναγνοίη τὰς συνθήκας τὰς ἀναγεγραμμένας,*" ut ipsi legant, quas Athenienses composuerint pactiones, quantum distent ab eis, quas Lacedaemonii nuperrime conciliaverint. Sed unde Atheniensibus pacem legendi potestas data? Kruegerus [56]) quidem multum abest, ut ad cippum quendam, publice propositum, ab Isocrate auditores relegari concedat, tantummodo de pacis commemoratione, in libris panegyricis exhibita, cogitari posse arbitratus. Sed Aemilius Muellerus [57]) hoc refugium interclusit, dilucide demonstrans, tum ex consuetudine Graecorum futurum fuisse, ut orator ipsa, quae spectaret, verba apponeret, utpote quae a scriba recitarentur, quod cum non factum esset clare probare, oratorem ad monumentum cuivis facile adeundum populum delegasse. De ipsa autem statua, cui, quod pace illa constitutum est, incisum fuit, quid statuendum sit, postea accurate demonstrabitur. Prius vero, ne hoc loco iam derelicto infra minus apte eodem revertamur necesse sit, statim breviter componamus, quas fere leges cippo inscriptas fuisse ex Isocratis verbis manifestum sit,

---

56) l. 1 p. 108. — 57) in programm. Frib. p. 11.

quippe cum eas ex illo ipso depromptas esse, omni iure affirmare liceat. Duplice quidem modo Athenienses Persarum regi certum finem imposuerunt: de vectigalibus a Graecis Asiaticis exigendis, tum de mari navibus longis (de eis enim solis cogitari potest in pactione belli componendi causa facta) intrando. Eam quoque ob causam hoc loco Isocrates pacis memoriam brevius exhibuisse videtur, quia auditorum animos attendere maluit ad nefastum Lacedaemoniorum foedus, quam ad pacem Cimoniam, quae non tam per se commemoratur, quam contentionis loco adhibetur [58]). — Aliis locis, quae in Panegyrico modo adumbravit, multo accuratius circumscribit nec non in maius extollit, ita ut oratorem proficisci quidem ex veris pacis legibus, sed maiore cum licentia, prout rationi suae maxime faveret, eas illustrasse atque exaggerasse agnoscamus. Quod, quamquam iam supra [59]) breviter complexus sum, quomodo factum sit, tamen hoc loco diligentius exponendum videtur. — In Areopagitico [60]) igitur Isocratem videmus potius rerum descripisse statum, pacem Cimoniam secutum, nec vero diffitendum est, longius eum processisse in eis, quae Persarum rex, Graecorum utique timore retentus, observaverit. Vectigalium, ut satis consentaneum est, ne uno quidem verbo meminit, sed cum accuratius disserat, quomodo regis imperium circumscriptum sit, non solum terminum exhibet navibus impositum, sed etiam, qui constitutus sit exercitibus terrestribus. — In Panathenaico [61]) deni-

---

58) eod. loco p. 12. — 59) p. 24. — 60) §. 80 ubi haec sunt: *οἱ δὲ βάρβαροι τοσοῦτον ἀπεῖχον τοῦ πολυπραγμονεῖν περὶ τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων ὥστε οὔτε μακροῖς πλοίοις ἐπὶ τάδε Φασήλιδος ἔπλεον οὔτε στρατοπέδοις ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ κατέβαινον ἀλλὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἦγον.* — 61) §. 59 ita loquitur: *ἐπὶ μὲν — τῆς ἡμετέρας δυναστείας οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς* (scil. *τοῖς βαρβάροις*) *οὔτ' ἐντὸς Ἅλυος πεζῷ στρατοπέδῳ καταβαίνειν οὔτε μακροῖς πλοίοις ἐπὶ τάδε πλεῖν Φασήλιδος· ἐπὶ δὲ τῆς Λακεδαιμονίων οὐ μόνον τοῦ πορεύεσθαι καὶ πλεῖν ὅποι βουληθεῖεν ἐξουσίαν ἔλαβον, ἀλλὰ καὶ δεσπόται πολλῶν Ἑλληνίδων πόλεων κατέστησαν.*

que, quos iam in Areop. fines allegavit, eosdem repetit, sed ita, ut eos sancte ac solemniter a Graecis devicto Persarum regi irrogatos esse significet.

Verum prius, quam ab Isocratis testimoniis explorandis avertamus, respicere libet ad eum, qui recognitionis meae ansam dedit Bemmannum, cum id, ut initio professus sum, quam maxime agam, ut causas ab illo contra pacis veritatem allatas examinem et quoad possim, infringam. — Ille igitur firmissimum, quo qui pacem defendunt, nituntur, fundamentum detracturus [62]), negat ex Isocratis verbo „παραναγνοίη" ad columnam respici. Sed id, ne uno quidem argumento contra hanc propositionem allato, probare prorsus supersedit, potius ea, quae Hieckius hic illic non sat recte contenderat, impugnans [63]), quam suae de ipsa re sententiae succurrens. Neque magis valet ad ipsam rem confutandam, quod Bemmannus [64]) tantopere mirandum putat, Isocratem hoc loco pacis leges obscurius significasse, cum id „vel minime eius referre" ipse persuasum habeat. Atqui eodem modo, quo scriptor alias leges minus exhibet verbose, sic poterat fieri, vel potius, si scriptor sibi constitit, necesse erat fieret, ut legem de vectigalibus breviter tantum attingeret. Obscuri autem, quod quidem Bemmanno placuit, nihil inerat in verbis „τῶν φόρων ἐνίους τάττοντες", nec nimium sumpsisse videtur orator, ab auditoribus, quid ipse significare vellet, intellegi poscens, quippe cum eos moneret, ut columnam pacis publice statutam ipsi inspicerent. Verum omnino spero, qui totam, qualis hoc loco exhibetur, legum descriptionem intueantur, eos Bemmanno assensuros non esse. Hieckio exprobranti, quod, „ut hanc quoque legem suo scienter adaptaret consilio, eiusmodi commenta verbis oratoris imputari (ab Aem. Muellero) pateretur" [65]). — Tum ille aggreditur ad ea, quae adhuc a viris doctis prolata sunt de „obscuris" his verbis iudicia examinanda, quorum cum nullum

---

62) l. l. p. 26. — 63) p. 39 sq. — 64) l. l. — 65) l. l. p. 28 sq.

sibi placeat — neque id immerito — denique confitetur „se desperare rem qualicunque interpretatione ad liquidum perductum iri“, quamquam corrupta esse verba negat. In eis autem, quae Hieckio obiectavit, omnino ei adstipulandum esse censeo, ut e. g. iure vituperat in Hieckio, quod Isocrati affinxerit opinionem, a qua eum vel longissime recessisse persuasum habeo et ipse, Athenienses pace Cimonia Jonum nullam habuisse rationem. In quibus quemadmodum ipse Hieckius contra se pugnaverit, nemo non intellegit, qui eum expressis verbis contendisse meminit, Isocratem Panegyrico exponere, „cives (Athenienses) suscepto maris imperio optime Graecis consuluisse“ [66]). Recte non minus se habet, quod Bemmannus [67]) illum perstrinxit argumentatione nimis contorta usum [68]), sed utcunque merito eum confutavit, id utique tenendum est, ne hilum quidem ipsum detraxisse de Isocratis Panegyrici loco pro vero testimonio adhibendo.

Jam vero persequendum est, quomodo Isocrate posteriores pacem descripserint. — Eorum omnium id spectatur esse peculiare, quod pacem istam ad suum Athenienses praedicandi consilium revocantes, a veritate iusto plus recesserunt et conditiones denique convenisse commenti sunt, quas vix quisquam magnum Persarum regem tunc temporum accepturum fuisse agnoscet. — Cum Isocrates in postrema oratione non prorsus stetisset eis, quae initio pacta esse statuerat, sed meridionali septentrionalem adiecisset terminum, longius etiam progressus est Demosthenes [69]), qui non contentus, constituisse in meridie et septentrione terminos, usque quaque potestatem regis ita circumcisam esse contenderet, ut, quominus orae maritimae plus, quam quod equus uno die percurrere posset, appropinquaret, cohiberetur. De fine, navibus imposito, ei cum Isocrate prorsus fere convenit, neque enim differt, quod is Phaselidis loco urbis insulas Chelidonias ex-

66) l. l. p. 14. — 67) l. l. p. 32. — 68) Hieck. l. l. p. 17 sq. — 69) quicunque in censum veniunt scriptorum loci, in unum conspectum composuit Dahlm. l. l. p. 140 sqq.

hibuit, quae proxime urbi illi adiacent. — Demosthenem qui excipiunt oratores, modo maiore, modo minore licentia adhibita, pacis leges describunt. Lycurgus[69]) quidem Phaselidem urbem pro insulis Chelidoniis restituit, sed cum finem terrestribus exercitibus irrogatum omittat, tamen id novi, quod apud Demosthenem nondum occurrit, adiungit, omnes Graecos et Asiaticos et Europaeos liberos esse factos. — Aristides pariter insulas Chelidonias et Cyaneas commemorat, limitem autem Persarum copiis observandum, vel ut apud Demosthenem equi cursum, vel quingenta stadia a mari remotum esse perhibet. — Quocum omnino concinit Himerius, nisi quod ad naves etiam mercatorias, non solum ad longas terminos pertinuisse affert. — Videmus igitur, proximum quemque oratorem pacem Cimoniam maioribus laudibus extulisse in eamque splendidiorem quandam aggregasse legem. Sed id ipsum, quamvis singula ex vera pacis historia removenda sint, clarius nobis ostendit, certum exstitisse fundamentum et id quidem verum, quo rhetorum exaggeratio niteretur undeque illi proficiscerentur. Atque profecto haud facile quisquam sibi persuadebit, licet Athenienses laudis vel cupidissimos fingamus, futurum fuisse, ut res plane commenticia atque ficta tam universe ab eis praedicaretur, tam universe ac tam credulis auribus acciperetur.

Eodem fere modo, quo Isocrates, de pace iudicat Diodorus Siculus, has conditiones convenisse affirmans: „*αὐτονόμους εἶναι τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἑλληνίδας πόλεις ἁπάσας, τοὺς δὲ τῶν Περσῶν σατράπας μὴ καταβαίνειν ἐπὶ θάλατταν κατωτέρω τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν μηδὲ ναῦν μακρὰν πλεῖν ἐντὸς Φασήλιδος καὶ Κυανεῶν· ταῦτα δὲ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν στρατηγῶν ἐπιτελούντων μὴ στρατεύειν Ἀθηναίους εἰς τὴν χώραν ἧς Ἀρταξέρξης βασιλεὺς ἄρχει*“[70]). —

70) XII. 4.

Hunc omnino de pacis legibus cum oratoribus consensisse ex alio quoque loco[71]) apparet, ubi haec sunt: „καὶ τὴν περιβόητον Περσῶν ἡγεμονίαν ἐπὶ τοσοῦτον ἐταπείνωσαν, ὥστε ἀναγκάσαι πάσας τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν πόλεις ἐλευθερῶσαι κατὰ συνθήκας“. — Bemmannus[72]) quidem mihi probavit, etiam ex ipsorum verborum similitudine concentum cum Isocrate facile colligi posse. Nec tamen ex ipso Isocrate, quod protulerit, Diodorum hausisse contenderim, sed potius ex Ephoro, quem praecipuum sibi auctorem proposuisse profitetur auctor. Perfacile sane fieri poterat, ut Ephorus, quem ad Isocratem utpote magistrum in his rebus potissimum sese applicasse, ad veritatem proxime accedit, quae ibi invenit, verbotenus excerperet indeque efficeretur, ut ipsius Isocratis verba in Diodori librum promanarent.

Iam relicum est, ut Crateri testimonium afferamus, quod Plutarchus[73]) nobis prodidit hisce verbis: „ἐν δὲ τοῖς ψηφίσμασιν, ἃ συνήγαγε Κρατερός, ἀντίγραφα συνθηκῶν ὡς γενομένων κατατέτακται“. Talis autem ac tanti testis ut removerent vim, qui pacem umquam factam esse negant, diverso modo de ipsis verbis dubitarunt, sed quod illi tale quid in re tam explorata susceperunt, id eo magis ostendit, quantum officiat Craterus illorum de pace sententiae. In qua re, quibus illi usi sint artibus, intellegere licet ex ea, quam Dikema[74]) protulit dubitatione. „Fieri potest“, ait, „ut fallar, at legenti, quae Plutarchus scripsit, mihi nec ipse Plutarchus videtur cogitasse de integro quodam exemplo, a Cratero ex antiquo monumento sive columna, sive aliud quid esset, desumto. Etenim si hoc significare voluisset, adiecto articulo scripsisset τῶν συνθηκῶν. Nunc vero videtur tantum id voluisse dicere: Craterum exemplum inseruisse non integri foederis sicut factum et descriptum esset,

---

71) XII. 2. — 72) l. l. p. 46 sq. c. n. 205. — 73) Cimon. vit. cp. XIII. — 74) eius sententiam accurate rettulit Hieck. l. l. p. 21.

sed modo pactionum quarundam digestarum, sicut vulgo foederis conditiones conciperentur. Has autem conditiones facile ex oratorum scriptis veluti Demosthenis vel Isocratis describere potuit". Videmus igitur, Dikemam Plutarchi exstitisse defensorem ab eo crimine, quo adhuc interpretes in eum contulerant, cogitare eum opinati „de integro quodam exemplo a Cratero ex antiquo monumento desumto". Sed si respexerimus, unde ille vir, quod omnes adhuc fugit, revelaverit, forsitan cautiores quaeremus, num argumentum, de omissione articuli petitum, re vera tantam habeat vim. Hieckius quidem recte monuit, „perversum esse idem Atticis, idem Plutarcho adhibere iudicium", neque igitur Dikemam sequendum esse, cum tanti fecerit, quod Plutarchus articulum in verbo „συνθηκῶν" omisisset. Sed accedit aliud, multo gravius, quod ipse Plutarchus Crateri testimonio tantum ponderis attribuit, ut vix eum de auctoritate illius scriptoris dubitasse, statui queat. Cum enim antea commemorasset, Callisthenem, num pax re vera confecta esset, in dubium vocasse, deinde eius testimonio opponit, quo maxime id infractum iri sperabat, in Crateri decretorum publicorum collectione huius pacis leges descriptas esse. Prorsus ergo fugit Dikemam, in hoc versari totam oppositionis vim, quod Plutarchus dicit: „οὔ φησι ταῦτα συνθέσθαι" absque totius loci sententia abhorrere „de pactionibus quibusdam" cogitari nec de eo, utrum pax omnino confecta sit necne. — Quid, quod Dikema has conditiones facile ex Demosthenis vel Isocratis orationibus describi potuisse censuit? Hieckius [76]) quidem, quominus hoc coniiciatur, impedire verbum „ἀντίγραφα" obiecit, sed equidem minime concesserim, id quicquam valere contra Dikemam, cum verbi illius vis multo latius pateat nec solum ea significet, quae de monumentis deprompta sint. Ab hac igitur parte cum res expediri nequeat, alia indaganda est via. Mihi quidem tota quaestio diiudicari posse videtur non tam ex eis, quae Plutarchus de

76) l. l. p. 21.

hac re fecit verbis, quam inde, quanti omnino Crateri auctoritatem facere debeamus. Id igitur in censum venit, num Cratero id neglegentiae imputandum sit, ut, quos maxime dubios incertissimosque auctores non poterat ignorare, eis in re minime levi tantam vindicaret fidem, ut eis solis uteretur testibus. Verum tamen id minime eius curae diligentiaeque fuit, quam semper et ubique ille prae se fert. De legibus autem pacis ipsis si quaeratur, quas fere Craterus in collectione sua exhibuerit, haud dubie concedendum erit Hieckio [77]) illum vel maxime probabile esse fere easdem, quas Plutarchus, prodidisse conditiones, cum, ut iam alio loco monui [78]), is numquam omittat, disertis indicare verbis, si sibi occurrat sententia ab ea, quam ipse maxime probat, plane diversa. Cum autem, ut Diodorum, sic etiam Plutarchum, cum oratoribus non solum sententias, sed etiam ipsa verba communia habere, Bemmanno concesserim [79]) indeque efficiatur, ex mea sententia Craterum in eadem de pace fuisse quam oratores opinione, ne me dixeris contra me ipsum pugnare, qui paulo superius id incuriae vituperium a Cratero removerim, quod de oratorum scriptis mutuatus sit pactionis exemplum. Aliud enim est de columna, aliud de panegyricis oratorum libellis aliquid exscribere. Licet utrumque in universum forte conspiret itaque quod inde efficitur eodem redeat, tamen de principio, quo scriptor inductus fuerit, aliter iudicandum est. Quandoquidem igitur Craterum satis locupletem esse pacis auctorem evicimus, eius testimonio non nihil momenti afferre nobis licebit. Id modo relinquitur, ut demonstremus, et ipsi lapidi, ex quo ille leges deprompserit, fidem habendam esse. Quacum quaestione simul, ut eam quanti sit Theopompi de pace conciliata dubitatio putanda, coniungam, diversis adducor causis, in ipso argumento positis. Transeamus igitur ad eos testes, qui pacem istam ab Atheniensibus cum Persarum rege initam esse prosus infitias iverunt, Theopompum atque Callisthenem.

77) l. l. p. 22. — 78) supra p. 6. — 79) sup. p. 26.

Theopompus, qua in sententia fuerit, duobus ex locis cognoscitur:

Harpocratio s. v. „Ἀττικοῖς γράμμασιν“. „Θεόπομπος δ' ἐν τῇ κέ τῶν Φιλιππικῶν ἐσκευωρῆσθαι λέγει τὰς πρὸς τὸν βάρβαρον συνθήκας, ἃς οὐ τοῖς Ἀττικοῖς γράμμασιν ἐστηλιτεῦσθαι, ἀλλὰ τοῖς τῶν Ἰώνων. —

Theon. progymn. II, 7. p. 162 Walz.

„Παρὰ δὲ Θεοπόμπου (ἔστι λαβεῖν) ἐκ τῆς πέμπτης καὶ εἰκοστῆς τῶν Φιλιππικῶν, ὅτι Ἑλληνικὸς ὅρκος καταψεύδεται, ὃν Ἀθηναῖοί φασιν ὀμόσαι τοὺς Ἕλληνας πρὸ τῆς μάχης τῆς ἐν Πλαταιαῖς πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ αἱ πρὸς βασιλέα. Δαρεῖον Ἀθηναίων καὶ πρὸς Ἕλληνας συνθῆκαι· ἔτι δὲ καὶ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην οὐχ ἅμα πάντες ὑμνοῦσι γεγενημένην, καὶ ὅσα ἄλλα, φησίν, ἡ Ἀθηναίων πόλις ἀλαζονεύεται καὶ παρακρούεται τοὺς Ἕλληνας“.

De prioris loci interpretatione cum Hieckius[80]) primus recte contra Dahlmannum[81]) pugnans ostenderit, „ἐσκευωρῆσθαι“ pro passivo genere non pro medio habendum esse, itaque primus totum hunc locum recte explicandi viam patefecerit, tamen quae de significatione verbi „ἐσκευωρῆσθαι“ ab eo disputata sunt, aliquo modo claudicant, id quod Bemmannus[82]) intellexit, pro ea, quam ille proposuerat, versione, „adulterinum pro vero supponendi“ locum potius habere exhibens notionem paulo latiorem solemnioremque „fingendi (machinandi)“[83]). Neque vero interpretationum discrepantia impedit, quominus de ipsa re Hieckius et Bemmannus prorsus consentiant. Qua difficultate sublata et huius loci sententia satis collustrata, videndum nobis, quid de altero loco putan-

---

80) l. l. p. 26. — 81) l. l. p. 89. — 82) l. l. p. 42. — 83) cf. Henr. Stephan. lex. s. v.

dum sit. Ubi cum Darii nomen exhibitum legas, haud scio an prorsus neges, his verbis ad pacem Cimoniam respici. Sed absque omni dubio est, illius nomen errore vel incuria librarii irrepsisse, cum quod foedus Athenienses a. 510 cum Dario vel potius cum Artapherne iunxerunt, minus nobile et magnificum esset, quam quod Theopompo gloriosissimis Atheniensium factis adscribere liceret. In propatulo igitur est, duobus his locis pacem Cimoniam intellegi et a duobus testibus Theopompum eius veritatem confirmari infitias ivisse. Neque ignoramus, quid eum commoverit, ut de incorrupta monumenti integritate dubitaret, id quod summi momenti est, cum inde omne de veritate eius testimonii iudicium pendeat. Secus prorsus iudicat Hieckius, propulsare conatus a Theopompo suspitionem, quasi pacis dubitationem ille non nisi columna, Jonicis litteris inscripta, fulserit atque „profecto paulo durius et iniustius in aestimando illo scriptore" futurum esse censet, qui eum nullam aliam causam in promptu habuisse suspicetur. Sed equidem a me non impetrabo, ut Harpocrationem rursus id incuriae in se admisisse existimem, ut, quae Theopompus dubitationis afferret argumenta, ex eis eligeret levissimum atque infirmissimum. An quis Athenienses tam inconsideratos fuisse statuat, qui ab adulterato isto titulo non omnem darent operam, ut fraudis suspitionem alienam esse efficerent? Nonne insanire potius dixeris eos, qui, ubi cavendum est, ne patefiat fallacia, vel ipsi monumenti speciei imprimant fraudationis notam ita manifestam, ut iam primo obtutu neminem possit non effugere? Utcunque igitur de Harpocratione iudicas, vix eum iure contendas ignorasse argumenti a Theopompo allati infirmitatem, vix inquam, eum de argumentis debilissimum memoriae prodidisse recte suspicaberis. Sed licet Theopompus praeter id alia in promptu habuisset argumenta et ea quidem aliquanto graviora, tamen de eius in hac re testimonio mirum quantum cautio adhibenda esset, ne nimiam ei tribueres fidem. Neque enim ille in historia describenda id agebat, ut quid verum esset, omnium

virium qua posset contentione indagaret, sed nihil antiquius habebat, nisi hoc, ut auditoribus vel lectoribus iniiceret admirationem sui quantam maximam. Quam ut assequeretur, historiae res ea potius ratione tractabat, qua maxime homines affectum iri persuasum habebat undeque plurimum inflammationis ad eos profecturum esse sperabat. Omnino oratorum instar, pront causa flagitabat, aut eam adaugebat in maiusque extollebat, aut eam comminuebat et eius notioni arbitrarie detrahebat. Ita si probatur, qui factum sit, ut Theopompus non accuratius in quaestione de pace Cimonia versaretur — minime enim Bemmanno [84]) concesserim, scriptorem accuratius in hanc rem inquisivisse — fere necessario consequi eius de hac pace dubitationem videmus ex eo, quem in Athenienses habebat animo. Semper enim et ubique idem ostendit Atheniensium odium neque, dummodo Athenienses appellarentur, referebat quicquam, qui et quales essent, neque occasione oblata satis apta, umquam dedignatur gravissimis conviciis in eos invehi, quorum nemo fere scriptori isti acceptus est nisi Cimon, quippe qui rebus Lacedaemoniis magis faveret [85]). Minime igitur mirum est, sed plane consentaneum, Theopompum convenisse pacem negare, unde ex istorum temporum iudicio tanta Atheniensibus evaserit gloria. Jam vero accuratius videamus, quo ille nitatur fundamento et de eo, quid iudicandum sit, quod litteris Jonicis non Atticis cippus inscriptus esset.

Diversas rem expediendi vias ingressi sunt homines docti, dum ex erroribus et hariolationibus rem ad probabilitatis lucem produxit Aem. Muellerus, qui luculentissima usus argumentatione, me ascivit sententiae sectatorem. Quo qui prius de hac re disputarunt alius aliam fere rationem inierunt. — Meierus [86]) quidem Theopompi argumento vim ita abstulisse sibi visus est, ut foedus diceret Jonicis verbis de-

84) l. l. p. 43. — 85) cf. Muell. in progr. Frib. p. 24 sqq. — 86) eius sententiam non nisi ex Hieckii diss. 1 p. 26 sq. cognoscere licuit.

scriptum et Jonicis litteris exaratum, non esse, quod quisquam miretur; verba vero Jonica ut adhibita fuisse existimaret, adductus est forma „πλέειν“ Plutarchi loco, ubi leges istius pacis exhibentur, usurpata. Hoc autem quam parum valeat ad rem diiudicandam, Kruegerus [87]) ostendit, ne Atticae quidem dialecto tales formas non contractas prorsus deesse demonstrans [88]), nec non fieri potuisse, ut istud vocabulum mero librarii errore perfacile irreperet, et vix credibile esse, Plutarchum, si titulum, Jonicis verbis compositum, ante oculos habuisset, id una tantum littera significasse. — Neque magis enodatur difficultas, qua Grotius putavit ratione, qui quidem, quod pax praesertim de Jonicis civitatibns confecta esset, ideo etiam eisdem litteris eam insculptam fuisse arbitratus est. Haud facile enim cuiquam probabitur, hanc rationem plus valuisse, quam eam, quod Atheniensium interesse deberet, istius pacis exemplum in suo capite publice propositum esse, ut, quid observandum esset, cuivis notum esset. — Itaque ne hoc quidem modo cum res explicare queat, veniamus ad eam, quo tota quaestio dirimi mihi videtur, disceptandam. Aem. Muellerus [89]) ut, quoad fieri possit, breviter eius sententiam praecidam, cippum iudicavit post annum 403 renovatum eisque litteris inscriptum fuisse, quae tunc temporum in publico usu essent.

Sed qui factum est, ut primarius lapis non diutius conservaretur, qui dein factum est, ut ille restitueretur, unde denique explicandum, quod monumentum non eisdem litteris exhiberetur, quas in genuino cippo fuisset necesse erat?

Principalem pilam sublatam fuisse inde recte collegit vir doctus, quod moris fuit apud veteres, ut ipsa pace rupta et in quo eius leges incisae essent monumentum deleretur, quippe cum nullam ob aliam causam pacis leges in apertis celebribusque locis statuerentur, nisi ut omnes quod consti-

---

87) l. l. 120 sq. — 88) πλέετω ab ipso Plutarcho usurpatur in vit. Alcib. c. XIX. — 89) brevius in mus. Rhen. l. l., copiosius in progr. l. l. p. 12 sqq.

tutum esset, scirent caverentque, ne singulis legibus adversarentur. Quae consuetudo quam diligenter semper observata fuerit, non solum ex multis licet exemplis cognoscamus, a veteribus scriptoribus enarratis, sed etiam aliquo modo inde, quod „στήλας καθαιρεῖν“ eandem fere significationem habet atque dictio „εἰρήνην παραβαίνειν“ [90]). Quod si etiam tum valuissse statuamus, id quoque agnoscamus necesse est, columnam pacis aliquot ante annis ruptae nullo pacto aetatem ferre potuisse.

Sed quae fuit causa, cur Athenienses postmodo memoriam istius foederis reficiendam curarent, quamquam id ipsum minime redintegraretur? Nonne ipsius pacis tanta fuit vis, tantum fuit momentum, cuius memoria digna videri posset, quae tamquam summum maiorum gloriae testimonium vel in monumento restaurato posteris semper ob oculos posita esset? Immo vero, nullius fere nisi mercatoriae cuiusdam pactionis fuit vera pacis Cimoniae vis. Veram dico vim neque tamen idem aeque persuasum habebant homines Graeci, qui istius pacis, genuina pila iamdudum de medio sublata, denuo insculpendis atque in omnium conspectu proponendis legibus curabant. Atque profecto, quamquam pax per se nequaquam gloriosiores continebat leges, tamen, si quis respiceret ea, quae nuperrime Spartanis cum Persis convenerant, multo illis generosiores sese praestitisse Athenienses non poterat non largiri. Quod quidem antea nullus duxerat memoria dignum, id tunc ex oblivione in claritatem evocandum videbatur atque oratorum potissimum intererat, ex istis conditionibus Atheniensibus gloriam afferre quantam maximam. Ab eis autem cum magis magisque civium animis splendidior illa pacis opinio ingenerata esset, perquam consentaneum est, quod viri docti coniecerunt, Athenienses postea publico quodam cippo exhibito ad pactionem istam provocare voluisse,

90) eius rei exempla complura collegit Krueg. l. l. p. 82. adn. 1, Mueller. l. l. in progr. p. 15. adn. 27.

qua ipsi ab oratoribus edocebantur non destituisse gentiles suos. Hanc quamquam renovandae inscriptionis ansam fuisse facile dederim, tamen minime dixerim, iam in eo cippo tales illos insculpsisse conditiones, quales postea a rhetoribus vel in maius sublatae, vel prorsus fictae adderentur. Quod quidem non tam ex ipsa rei natura, quam ex Isocratis loco, quo ad ipsum lapidem respici vidimus, prorsus manifestum fit.

Sed qui denique factum est, ut pila redintegrata non ut genuina Atticis, verum potius Jonicis litteris inscriberetur? Usque ad aetatem triginta tyrannorum in omnibus monumentis et si quae alia publice statuerentur, Atticae litterae adhibebantur. Sed cum in decursu temporum id litterarum genus exolevisset ac repressum esset Jonico, Archinus orator, Euclide archonte 403 — 402, eorum usum ut in vita communi in consuetudinem venit, sic etiam induxit in monumentis publicis usurpandum. Quid ergo? Monumentum litteris Jonicis insculptum aetate annum 403 non excessit, nec genuina visa est eam ob causam Theopompo pax in pila ista descripta. De cuius argumenti vi qualis esset, cum iam alio loco res ita ferret, ut verbo attingerem, nunc tamen accuratius quam debile infirmumque sit, demonstrandum erit. — Prorsus, quamquam paulo aliter ratiocinatus sum, mihi convenit cum Aem. Muellero[91]), immo contra ex litteris Jonicis, in cippo adhibitis, effici, ut ipsa pax ficta non sit. In propatulo profecto est, Athenienses, quippe cum in pacis monumento litteris uterentur a. 403 demum publice inductis, aperte confessos esse, se id renovasse, quod, si genuinum esse simulaturi erant, Atticis litteris inscriberent necesse erat. Ita igitur cum Athenienses minime celarent, adulterinum se posuisse cippum, facile dabis, ipsos maiorem ansam dedisse dubitationis, omnino se totam rem, quam testaturi erant, commentos esse. Talem autem suspitionem quam facile, dummodo effugere voluissent, evitare poterant eo, quod, cum

91) in progr. p. 12 sqq.

primum monumentum reficerent, inscriptionem Atticis litteris insculperent idque excusarent ita, ut se, quanta fieri posset fide, verum pacis cippum restituere voluisse demonstrarent! Nemo profecto aequalium ea re offensus esset, inter posteriores autem, qui de incorrupta monumenti integritate dubitaret, quotus quisque erat relicus? Quas rationes cur omnino neglexerint, equidem nullam aliam causam video obviam, quam quod de re agebant omnibus explorata atque omnis fallaciae experte. Quam ob rem ex Jonicis litteris potius pacis probabilitas augeri, quam ullius dubitationis locus dari videtur. Accedit, id quod Muellerus [92]) recte attulit, inde quoque Athenienses commenticiae pacis monumentum statuisse improbari, quod eis exspectandum non erat, homines sibi esse persuasuros, ut quod monumentum suis oculis exstrui intuiti essent, iam inde a Cimonis aetate exstare confidenter crederent. Neque nihili est ad probandam monumenti veritatem, quod Muellerus [93]) rectissime monuit, in cippo non, nisi ut maiorum gloria posteris ostenderetur, statuto, eam legem neminem recepturum fuisse, ex qua clare appareret, nequaquam omnes Asiae minoris urbes a Persarum imperio liberatas esse, sed nonnullas in eadem remansisse ditione. Minus dederim ei argumento, quod idem vir doctus petiit [94]) ex ipsis verbis, quibus pacis leges descriptae essent, affirmans: *„Der Styl jener Friedensbedingungen ist nicht der Styl der Sage“.* Neque enim dubitem, quin Athenienses „fere quinquaginta annis post Euclidem“ tam prudentes fuerint, ut si quid adulterarent, aliquo modo speciem veri affectarent. — Satis cum iam disputatum sit, quantum abfuerit, ut Athenienses pacis numquam conciliatae monumentum statuerent, redeat, unde degressa est, oratio. Quid igitur faciamus de Theopompi iudicio? Omnino cum eius dubitationis fundamentum detractum sit, quod in eo fulsit, simul concidit: „Theopompus demonstravit, quod vix quis-

---

92) ib. p. 13. — 93) ib. p. 23. — 94) ib. p. 24.

quam infitias ibit, columnam non genuinam sed refectam fuisse“ [95]).

De hoc loco, quid Hieckius et Bemmannus censuerint, iam videndum est, cum in eis, quo et ipse aliquo modo offensus sum, occurrat. — Hieckius [96]) quidem primum contendit, Isocratem inspexisse et provocasse in Paneg. ad aliam pilam, quam quae posteris temporibus observaretur oratoribus, unde solum patere arbitratur, quod oratoribus Isocrate posterioribus tantum recedere licuerit ab eis, quae ille ex ipso monumento quasi recitaret. Sed paululum hoc loco subsistamus! Hieckius igitur post Isocratis aetatem genuinam pacis pilam rescissam esse statuit, quo autem casu ea ablata sit, certiores nos facere plane supersedit. Et sane ita latus dedit adversario, cum neutram causam attulerit, cur probabile sit, cum genuinam columnam deletam, tum pacis memoriam postmodo refectam esse. Neque omnino, tale quid unde demonstrari queat, umquam eum inventurum esse credo. Immo contra, quod iam multis annis ante, ut ipsa pax, sic etiam pacis pila rupta fuisset necesse erat, Isocratis temporibus non iam exstare poterat antiqua columna. Ab hac igitur parte cum Hieckium Bemmannus impugnaverit, non possumus non ab eius partibus stare. — De ipso anno, quo Athenienses pacis memoriam renovarint, accuratius definiendo, si quis quaerat, proxime accedat veritati, si contentus erit intra annos 387 et 380 id posuisse, quandoquidem vix accuratius id computare licet. — Pugnant etiam inter sese, quae Hieckius diversis locis de eadem re attulit. Hic [97]) enim affirmat, posteriore tempore, quae tum circum ferrentur pacis leges incisas esse, illic [98]) his quod prorsus officit: „videntur autem Athenienses, cum pacis memoriam reficiendam curarent, non eo impudentiae processisse, ut vulgarem id temporis et a veritate discedentem opinionem in formam iusti et genuini pacis monumenti redigerent, sed epigramma

95) ib. p. 13. — 96) l. l. p. 28 sqq. — 97) l. l. p. 29. — 98) l. l. p. 30.

quoddam, quo pax illa gloriosissima praedicaretur, pilae insculpsisse". — Verum omnino merito Hieckius dubitat, num fieri potuerit, ut oratores in dies fere in maius extollerent gloriam, quam ex pace Cimonia Athenienses nacti essent, licet istius foederis cippus, veras et eas quidem minus splendidas leges continens, ob omnium oculos versaretur. Equidem potius hunc fere in modum ratiocinatus sim: quod orarum proximus quisque fere alias convenisse conditiones perhibet, id sane nos eo adducit, ut quod certum quendam modum eis imponeret ulteriusque ne prolaberentur vetaret, exstitisse negemus. Cum autem probatum sit, unde Isocratespacis leges desumeret, adulterinam fuisse columnam, nihil relinquitur, nisi ut statuamus, eam ipsam postea, utique ante annum, quo Demosthenes orationem *περὶ τῆς παραπρεσβείας* habuerit, ablatam esse, cum causa non iam exstare videretur, cur istius pacis memoria asservaretur, exacerbatione pacis Antalcidicae, quae proprie columnae renovandae dederat locum, ex animis remota. — Verum obiiciat forsitan quispiam, ex eo ipso, quod oratores etiam posteriore tempore, ubicunque fieri posset, tam facile ad praedicandam istam pacem devenerint, dilucidum esse, ne posthac quidem eius iactationem excidisse neque inde probabile esse, Athenienses cippum umquam de medio sustulisse. Sed respiciendum est, monumenti illius renovandi eam potissimum causam fuisse, quod Athenienses post pacem Antalcidicam ostentaturi erant, quanto melius ipsi universae nationis Graecae rationibus inserviissent. Veri igitur simillimum est, columnam, auctoritate publica tunc statutam, postmodo item sublatam esse, cum magistratus id non spectarent, ut monumentum pacis, minime immortalitati quae commendaretur dignae, posteris temporibus derelinqueretur. Atque profecto vix aliter declarandum esse arbitror, quod posteriores oratores in efferendis pacis conditionibus omnem veritatis vel potius probabilitatis excederent modum.

Quae Bemmannus, satis copiose disputans, de pila fecit verba, longius persequi, meum non esse reor, cum ille potius,

quid Hieckius non sat recte protulerit, confutare, quam Theopompi de pila testimonium confirmare, proposuisse sibi videatur. De pila autem, „quam Theopompus viderit“, in universum censet, „somniari quidem multa, sciri autem nihil posse, nisi quod Harpocratio prodat ideoque in huius testimonio acquiescendum esse“ [99]). Id igitur nobis pro certo affirmare licet, Bemmannum in evincenda Theopompi auctoritate nihil profecisse ac nihil omnino protulisse, quo, quae adhuc de eius scriptoris testimonio refellendo disputata sunt, ullo modo infirmentur. Ergo teneamus, Theopompus quod attulerit, id prorsus nihil valere ad causae vim infringendam!

Veniam a lectoribus fore mihi spero, diutius in eis, quae ad Theopompum et cippum, cui pacis Cimoniae leges insculptae fuerint, commorato, quandoquidem in hac quaestionis parte fere summa argumentationis inest atque cardo quasi versatur totius litis. Spero fore, quibus nostra disputatione magis etiam persuasimus, Theopompi argumentum nullius momenti esse, verum potius quod summus iste Atheniensium osor invisorque non aliud idque gravius in promptu habuerit argumentum, inde haud spernendam pacis re vera compositae affirmationem desumi posse.

Theopompum excipiat, qui alter pactionem negavit initam esse, Callisthenes. Cuius testimonium afferendi occasione oblata et Plutarchi sententiam accuratius exhibere libet, cum id illuc potius pertineret, ubi testes produximus pacis reapse conciliatae. Quae huc spectant verba sunt haec: „*Τοῦτο τὸ ἐργὸν οὕτως ἐταπείνωσε τὴν γνώμην τοῦ βασιλέως, ὥστε συνθέσθαι τὴν περιβόητον εἰρήνην ἐκείνην, ἵππου μὲν δρόμον ἀεὶ τῆς Ἑλληνικῆς ἀπέχειν θαλάσσης, ἔνδον δε Κυανεῶν καὶ Χελιδονιῶν μακρᾷ νηῒ καὶ χαλκεμβόλῳ μὴ πλέειν. Καίτοι Καλλισθένης οὔ φησι ταῦτα συνθέσθαι τὸν βάρβαρον, ἔργῳ δὲ ποιεῖν διὰ φόβον τῆς ἥττης*

99) l. l. p. 44.

ἐκείνης καὶ μακρὰν οὕτως ἀποστῆναι τῆς Ἑλλάδος, ὥστε πεντήκοντα ναυσὶ Περικλέα καὶ τριάκοντα μόναις Ἐφιάλτην ἐπέκεινα πλεῦσαι Χελιδονιῶν καὶ μηδὲν αὐτοῖς ναυτικὸν ἀπαντῆσαι παρὰ τῶν βαρβάρων." [100]). — Neminem profecto nisi Moschium [101]) fugit neque omnino, qui accuratius totum locum inspexerit, facile fugere potest, Callisthenem non tempus, sed pacis veritatem in dubium vocasse. Dedita enim opera, cum Plutarchus eius iudicium afferret, inter sese opposuit verba „συνθέσθαι" et „ἔργῳ ποιεῖν", ita ut inde iam satis, quid significare ille voluerit, perspiciatur; accedit, quod totius enunciationis et cum antecedentibus et cum consequentibus cohaerentia id luce ostendit clarius. Ab hac igitur parte cum Hieckius Callisthenis testimonium vix infirmari posse intellegeret ipseque, qui id expertus erat Moschium verbis perstringeret, tamen alio modo suspitionem movere conatus est, num profecto historicus istius pacis veritatem infitias iverit. „Quod" inquit „Theopompus et Callisthenes de pace Cimonica dubitationem moverunt, eorum iudicium non multum valet, quandoquidem posteris narrationis, non pacis veritatem, si modo eam impugnaverunt, in dubium vocare debuerunt" [102]). In confesso igitur est, ne ipsum quidem Moschii vituperatorem eis verbis summum attribuisse momentum, quibus Plutarchus attribuendum esse manifeste collocatione verborum indicavit, sed iusto plus eum ursisse verbum „ταῦτα". Sed omnino exploratum est, Callisthenis dubitationem non nisi ad ipsam pacem neque vero ad singulas istius leges spectare. Certissimis igitur verbis Callisthenes bello ab utraque parte quasi sponte composito haec evenisse affirmat, quae omnibus fere

---

100) vit. Cim. XIII. hoc potius loco et ipsius Plutarchi sententiam apposui, ut facilius iudicium pateret de toto contextu, quo Callisthenis dubitationis mentio fit. — 101) ipsa eius verba inspicere mihi non licuit, sed solum ex Hieck. l. l. p. 22, quid ille senserit, comperi. — 102) l. l. p. 31.

aliis, qui eius rei mentionem fecerunt, certa quadam pactione, inter Persas et Athenienses sancte inita, effecta esse videbantur. Sed quamvis eius historiam Graecam multo pluris quam reliqua eiusdem scripta faciamus, tamen vix quisquam eius auctoritatem tanti aestimaverit, ut eius solius testimonio omnium reliquorum auctorum fidem tolli statuat, idque eo minus licet, cum omnino sciri nequeat, unde ille dubitationem suam deduxerit. Hoc solum igitur testimonium paululum vel potius nihil valet ad rem negandam. —

Huc usque in prima et ea quidem totius commentationis amplissima parte, cum testimonia pacis ex antiquorum scriptorum libris desumpta persecuti simus, pro rei ratione modo accuratius, modo brevius eis examinatis, haud ineptum videtur esse, prius quam ad alteram partem transeamus, quaecunque adhuc evicisse nobis videmur, breviter amplecti, ut uno in conspectu positum videas, quae omnino pacis Cimoniae sit historia. — Quod veteres rerum auctores pacem silentio praeterierunt, non nimii putandum est, quandoquidem ea minoris erat momenti, quam quae eis, qui breviter tantum tempora illa tractabant, memoratu satis digna videri posset. Charon Lampsacenus tempore pacis Cimoniae etiamtunc in vivis num fuerit, perquam dubium est, Hellanicus eius pactionis mentionem fecisse videtur, cum Plutarchus, qui eum paecipuum de omni ea periodo auctorem sibi ascivit, eum non commemoraverit in scriptoribus a se dissidentibus. Ctesiae testimonium nemo desiderabit vel pugnam Salaminiam similia silentio praetereuntis. Thucydides, ut ipse profitetur, nihil nisi quae maxime valuerint ad Atheniensium opes tantopere efferendas, enarrare propositum habet, omnino ergo illius non erat, mentionem iniicere eiusmodi pacis; aeque fere res se habet de Aristophane ac Pindaro. Andocidem satis est demonstrasse uno certe loco de pace nostra cogitasse, Platonis non referebat. Lysiam pacem exhibuisse equidem persuasum habeo. Ab Isocrate postmodo pacis leges exaggerantur, in prima quidem earum,

quae huc pertinent, oratione (Paneg.) id minime in se admisit, quippe cum provocaret ad columnam pacis leges referentem. Demosthenes minus etiam modum servavit interque eos, qui secuntur, quo quisque proclivior est ad Athenienses praedicandos, eo magis ex ipsius arbitrio, nullo omnino verae conditionis ratione habita, leges illustrat. Ex quo effici mihi videtur, ut publicus cippus, unde cuilibet legere singula, quae convenerant licebat, de medio remotus fuerit postmodo. — Duo negant pacem re vera factam esse; Theopompus quod iudicavit, concidit, utpote quod superstructum sit in ruinoso quasi fundamento. Solius denique Callisthenis testimonium non sufficit ad fidem paci abrogandam, cum praesertim ipsae res factae, quales tempus illud antecedunt et consecuntur, nos cogant, ut pactionem aliquam tum convenisse statuamus. Quam tamen quaestionem diiudicare nequit, nisi qui antea, quem in annum pacem istam cadere probabile sit, definierit.

II.

De anno disputatur, quo pacem esse initam veri sit simillimum.

Antiquis et recentioribus temporibus scriptores, qui de pace Cimonia quaesiverunt, mirum quantum haesitarunt, cui anno eam tribuerent. Id nobis sane occurrit memorabile, quod pax fere ab omnibus scriptoribus post pugnam Eurymedonteam atque ex praeclarissima illa Cimonis victoria orta esse fertur. Bemmannus quidem „nobis vero“ inquit „omnis pacis historiae ea condicio esse videtur, ut certi nihil de tempore cuiquam constiterit“ [103]), sed ex mea sententia de hoc loco facillime iudicari potest, nec mihi obscurum videtur, sed planum ac dilucidum, qui factum sit, ut error iste singularis exstaret ac tam late se diffunderet, ut ne nostris qui-

103) l. l. p. 46 m.

dem temporibus desint, qui pacem istam ex proelio illo quasi promanasse ducant. Unde cum omne perversum de pacis notione iudicium natum videatur esse, opera sane haud indignum est, ostendere, eam computationem omni probabilitatis nota carere. Atque eo magis in hac quaestione diutius morari libet, cum a nullo alio, qnantum scio, accuratius in hanc rem inquisitum sit, complures etiam prorsus fugisse videatur, quam arte duae istae quaestiones de ratione ac tempore pacis inter sese cohaereant.

Priores scriptores omnino supersederunt temporis, quo Athenienses „splendidissimam" illam pactionem cum Persis inierint, ullam inserere mentionem, primum eiusmodi definitionis vestigium deprehendimus apud Lycurgum oratorem, eo igitur tempore, cum pacis leges summis efferebantur laudibus. Sed id ipsum, quod pax tunc tantam adepta erat gloriam, quodam modo probabile, quin adeo necessarium reddebat hominibus, ut gloriosas pactiones deducerent a victoria quamvis gloriosa. Quid autem contra Persas praeclarius eis temporibus gestum aut quando opes regis magis infractae videbantur, quam cum Cimon victoria ista nobilissima, apud Eurymedontem reportata, Persarum copias maritimas simul et terrestres fugaverat? Quam maxime igitur consentaneum est, pacis celebritatem causam fuisse, cur ea potius ad illud tempus ferretur. Neque omnino quisquam, cui cum scriptoribus illis de ratione pactionis conveniebat, offendi poterat ea computatione, immo vero ex pugna apud Salamina facta, si quis tantam gloriam Atheniensibus evasisse contendere voluisset, multo facilius suspitionem movisset. Cum igitur pateat, id quod infra accuratius demonstrabitur, veteres scriptores egregie falsos esse de pacis tempore, nescio an licentiae subeamus crimen, hoc quidem loco pietatem erga testes antiquos neglegentes. Sed tamen unum certe nostrae de tempore sententiae auctorem eumque haud spernendum, afferre liceat Diodorum Siculum,

104) XII. c. 3 et 4.

qui hunc fere in modum narrat: Cum Athenienses iam (450—449) anno Euthydemi archontis classem ducentarum navium in Cyprum insulam misissent et Cimone duce omnes Persarum opes fudissent, sequenti anno (449—448), eodem copiis praefecto, Cypri urbes expugnare susceperunt. Sed Cimone Salamina urbem obsidente, Artaxerxes rex Artabazo et Megabyzo satrapis imperavit, ut cum Graecis, quacunque possent ratione, pacem inirent, quod impetraturi illi legatos Athenas miserunt, qui de foedere agerent. Athenienses vicissim conciliatores, quorum Callias princeps fuit, ad Persarum regem ablegarunt, quo facto pax re vera composita est. — Apparet igitur ex Diodori sententia regem eis, quae Cimone duce perfecerant Athenienses, perterrefactum ad pacem cum eis ineundam descendisse. — Haud dubie nimium poscit, qui, quod Kruegero [105]) et Bemmanno [106]) placuisse videtur, ut statuamus flagitet, forte fortuna et potius per errorem Diodorum in eum incidisse annum, cui soli recte haec pax tribui potest. Verum potius ita maxime mihi probabile videtur de Diodori fontibus existimare: pacis leges, quales attulit, mutuatus est ab Ephoro [107]), in tempore autem definiendo sequitur Timaeum [108]). Sed quamvis mihi, quod modo in medium protuli, maxime probabile sit, tamen non id mihi assumo auctoritatis, ut in aliis, quae de pacis computatione exhibebo, ista mea coniectura nitar. — Sed hoc loco cum omnino afferantur, quae de pacis Cimoniae tempore scriptores veteres prodiderint, excitanda denique sunt, quae de hac re occurrunt apud Suidam s. v. *Καλλίας,* quo loco verba ex mea quidem opinione ita sunt corrigenda: „*Καλλίας ὁ Λακκόπλουτος ἐπικληθεὶς πρεσβεύων* [109]) *πρὸς Ἀρταξέρ-*

105) l. l. p. 129 sq. — 106) l. l. p. 46. — 107) dilucide id ostendit Muell. progr. p. 8. cf. quae ipse attuli p. 26. — 108) cf. Krueg. l. l. p. 55. — 109) Excusatum quaeso me habeant lectores, quandoquidem verbum „*πρεσβεύων*“ ipsi textui inserui, sed quod in codicibus legitur verbum *στρατηγῶν* confidentissime exterminandum esse puto, cum de Callia imperatore nihil omnino compertum habeamus. Sed iam quaeritur num sta-

ξην τοὺς ἐπὶ Κίμωνος τῶν σπονδῶν ἐβεβαίωσεν ὅρκους· καθ᾽ ὅν [110]) εἰςβαλόντες Λακεδαιμόνιοι Πλειστοάνακτος τοῦ Παυσανίου βασιλεύοντος ἐδῃώσαντο τὴν Ἐλευσῖνα καὶ τὸ Θριάσιον πεδίον ἔτι τῆς πεντηκονταετίας οὔσης ἥτις ἤρχετο μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην, ἔληγε δὲ εἰς ἅλωσιν Σάμου καὶ ἀρχὴν τῶν Κερκυραϊκῶν". — Quibus verbis quanta sit vis tribuenda, de ea re in prorsus contrarias discesserunt partes Kruegerus et Curtius. Ille quidem hunc locum haud dubie neglegendum esse arbitratur [111]), hic autem ex uno hoc fonte hausit soloque eo testimonio fulsit pacis, quam ipse iniit computationem [112]). Quorum uterque licet nimium sibi vindicare videatur, tamen magis steterim a Curtii partibus, nisi quod admodum doleo, quod vir ille doctissimus et nuperrime, quamquam ab Hicckio [113]) commonefactus, ut cuius auctoritate Suidas niteretur publici iuris redderet, satis iterum habuit repetiisse, Suidam ad locupletem auctorem sese applicasse [114]). Et mihi quidem illuc potius animus vergit, ut

---

tuere liceat per merum oculorum vel aurium errorem id falso scriptum esse. Minime, sive litteris exhibitum delegitur, sive auribus a recitatore aliquo excipitur, ulla similitudo agnoscenda est inter verba πρεσβεύων et στρατηγῶν. Quod me induxit, ut hoc fere modo errorem in codice ortum esse existimaverim. Primo quidem genuina lectio „ὅρκους" perdita videtur esse in eam, quae satis prope accedit ὅρους, id quod eo facilius admitti poterat, si quis in contentionem vocaret alium Suidae locum, (s. v. Κίμων) eodem pertinentem. Librarius autem, qui postmodo legebat „πρεσβεύων ὅρους ἐβεβαίωσε", cum potius exercituum, quam legatorum ducis ὅρους βεβαιοῦν arbitraretur, verbum πρεςβεύων commutavit in στρατηγῶν, prorsus videlicet ignarus, Callias fuerit imperatorne an legationis princeps. Denique ex utriusque generis codicibus confuse excepta videntur esse verba στρατηγῶν et ὅρκους (cf. adnot. ad hunc locum in Suidae ed. a Bernh. curata. — 110) Praeterquam quod καθ᾽ ὧν vix sanam praebet sententiam, ea lectio codicum fide parum sustentatur, καθ᾽ ὅν praeb. cod. optim. Par. A. cf. Kuesteri adn. in Suidae edit. laudatam. — 111) l. l. p. 131. — 112) II. p. 168 sq. — 113) l. l. in adn. 125. — 114) II. p. 747 adn. 60.

Suidae verbis non habeam nullam fidem. Quam bene omnia inter se conspirant, si ex Suida colligamus Cimone mortuo, satrapas quidem de bello componendo in Atheniensium castra missos (ut Diodorus [115]) perhibet), sed pactiones ductas esse, cum foedus ne statim iceretur, obniterentur Thucydidis sectatores [116]). Addas, quod Suidas hoc loco nil prodidit de gloriosissimis pacis conditionibus, id quod optime cum eius computatione congruit. Quod cum ita sit, vix Suidae denegandam puto fidem et maxime placere possit haec temporum ratio a Suida inita; attamen eius testimonium per se nihil valet atque validioribus aliis testibus confirmetur necesse est. — Minime vero Hieckio [117]) concesserim a Suida forsitam inter se confusas esse legationes, quarum Callias alteram a. 449 Susa, alteram a. 445 Spartam susceperit, quandoquidem utriusque legationis consilia nimis sunt diversa, quam quae Suidas inter se commiscuisse suspectus reddi queat. — Ne igitur audaciae crimen subeam, ut Diodori, sic etiam Suidae verba praetermittam nec nisi ex rerum conditione argumenta petam ad pacis tempus definiendum [118]).

Statuamus prius, quamquam id minime probabile est, post annum 469 pepigisse duos populos illos: num omnino Cimonem, cum duabus victoriis reportatis ad summos spiritus elatus esset, pacem probabile est iniisse, eo ipso tempore, cum, quo nihil habebat antiquius, ut Persarum opes prorsus infringeret, summa spes ei allata erat? Nos quidem, id ut credamus, vix animum inducere possumus, vel potius Cimone superstite nullam omnino pacem cum Persis iniri potuisse persuasum habemus. Deinde tunc pactum fuisse, improbatur inde, quod inter Persas et Athenienses haud ita multo post in Aegypto et Cypro exarsit bellum; quo si foedus istud

115) XII. 4. — 116) cf. quod infra de hac re exposui. — 117) l. l. in adn. 125. — 118) Ad hunc quidem locum spectat, ut de Herbstii sententia dicam, qui spatio temporis, inter annos 431 et 424 interposito, pacem attribuit, sed postmodo demum de hac re verba faciam, ubi de Callia sermo erit.

ruptum esset, eo magis a scriptoribus commemoratum fuisse putandum est, quia bellum tam brevi demum tempore ante compositum erat itaque foederis neglectione eo gravius quivis offendebatur. — Eis praesertim argumentis vetari videmur, ne anno 469 eam pacem vindicemus.

Sed ab altera parte eum, qui post annum 449 fuerit rerum status, si respexeris, vel maxime animus eo inclinat, ut isto potius tempore et Persarum regem et Athenienses aeque ad bellum finiendum propensos fuisse statuas. — Athenis quidem cum Cimon, Citium expugnaturus, mortem obiisset, Pericles moderandam rem publicam suscepit, pariter pacis studiosus atque ille belli continuandi summa fuerat cupiditate correptus. Is igitur summam navavit operam, ut pacem usque quaque reconciliandam curaret et, quemadmodum paulo ante cum Spartanis pacem fecerat, ita tunc bellum ut contra Persas componeretur, agebat. Ea enim, quam semper et ubique prae se fert circumspectione et fere dixeris divina quadam praesagiendi facultate praeditus, acutissime videbat, bellum haud ita multo post erupturum esse, quo Athenienses et Spartani de Graeciae principatu decertarent. Ex eo vero ut Athenienses superiores discederent, vel summi erat momenti neque omnino quicquam referebat in longinquis istis maribus possidere, quae vix credibile erat per longius temporis spatium retentum iri, ne summis quidem impensis factis. Neque eum fugit, quam opportunum esset ad paciscendum tempus. Antea quidem et ipsum constat Cimonem adiuvisse, cum ille ut bellum cum Persis denuo susciperetur suaderet, quandoquidem recuperanda erat Cyprus insula, sustentandae Atheniensium partes in Caria et terris circumiacentibus, reiicienda denique Persarum classis a mari Phoenicio. Sed Athenienses hoc tamquam honoris munere defuncti, quod debebant, praestiterant et quoniam ex eis, quae hac occasione bene gesserant, satis aequas conditiones impetrare poterant, non erat, cur vires et pecunias temere dissiparent, cum praesertim Cimone mortuo num aeque bene

res posthac cederet, vel maxime dubium esset. Quas rationes qui diligenter secum perpendebat, quid faciendum esset, vix haesitare poterat, sed nihilo setius fuerunt, qui, quod Cimon morte oppressus assequi non poterat, persequendum et bellum contra Persas continuandum putarent, „ἀλλ᾽ ὁ Περικλῆς κατεῖχε τὴν ἐκδρομὴν ταύτην καὶ περιέκοπτε τὴν πολυπραγμοσύνην καὶ τὰ πλεῖστα τῆς δυνάμεως ἔτρεπεν εἰς φυλακὴν καὶ βεβαιότητα τῶν ὑπαρχόντων“[119]). —

Sed non minus Persarum intererat, bellum tandem componi, cum nullo pacto sperare possent, umquam sese recuperaturos esse maris Aegaei imperium. Tunc enim, ubicunque cum Graecis congressi erant, eis inferiores discesserant et in dies regni imbecillitas magis detegebatur. — Accedit, quod, cum eisdem temporibus Amyrtaeus[120]) et Megabyzus[121]) in seditione essent, rex eo proclivior factus est ad bellum cum Atheniensibus componendum, quoniam id vel summi erat discriminis, ut universas opes coniunctas haberet contra seditiosos satrapas.[122]).

Hanc utriusque partis conditionem, cum diligenter respexerim, ne minima quidem in me remansit dubitatio, post annum 449 nec vero post pugnam Eurymedonteam pacem confectam esse.

III.

Singulae leges componuntur, quae ista pace constitutae esse videantur.

Venimus iam ad eam disputationis partem, qua quid omnino pace Cimonia Athenienses cum Persis pepigerint, persequendum est. Et in hac re singulari fontium natura

---

119) Plut. vit. Per c. XXI. — 120) Thuc. I. c. 110. — 121) vid. Bemm. l. l. adn. 52. — 122) De omnibus, quae hoc loco in censum veniunt rationibus copiosissime disputavit E. Curtius „Griech. Gesch.“ 1865. II. p. 167 sqq.

cogimur, ut potius ex statu rerum, qualem tum a scriptoribus comperimus fuisse, quam ex sententiis veterum ipsis iudicium faciamus. Primum quidem demonstrandum erit, quo iure „ei paci gloriosissimae potissimum pactionem quasi quandam mercatoriam subesse“ statuamus. Neminem, qui, qualis historia pacis sit, meminerit, mirari posse puto, quod scriptores eius rei ne uno quidem verbo mentionem fecerint. Attamen Bemmannus [123]) sibi persuadere nequit, „si re vera haec potissimum vis ac ratio fuisset pacis, futurum fuisse, ut omnis eius rei memoria abiret“. Repetere liceat, quod satis superque monui, omnino abhorruisse a proposito oratorum, ut tale quid continuisse pacem commemorarent. Ex silentio igitur auctorum nihil contra hanc pacis vim efficitur. De pace quidem ad mercaturam tutandam composita a nullo verbum fit, sed pacem praesertim ad terminos maritmos spectasse constituendos, diserte significavit Isocrates et eo quidem loco, ubi ex ipso cippo leges recitat, verbis usus: „κωλύοντες αὐτὸν (sc. βασιλέα) τῇ θαλάσσῃ χρῆσθαι“. Quid autem Athenienses hoc vetantes sequebantur aliud, nisi ut ad portus cuiusvis terrae viam patefacerent navibus mercatoriis easque ab hostium incursionibus tutas praestarent? Contra quod quicquid Bemmannus [124]) attulit, nihil valet. Obiecit quidem, regni Persici „hanc fuisse condicionem, ut singulae provinciae non tam regis quam satraparum imperio regerentur, bello autem, si minus composito, at certe intermisso, satrapas et ipsos commercio utpote sibi non minus, quam Atheniensibus utili indulsisse“. Sed haud facile cuiquam persuasum erit, Athenienses ausuros fuisse in maribus tam longe remotis navigare, semper et ubique eo circumventos periculo, ut naves suae a Persis interciperentur. Quaerat vero quispiam, num reapse Atheniensium rettulerit tanti, mercaturam denuo suscipi absque periculis liberam esse, ut de hac fere sola re pactionem inirent cum Persis.

123) l. l. p. 14. — 124) l. l. p. 15.

Profecto! Etenim Atheniensium principatus nitebatur quam maxime sociorum opibus neque eis invalidis fieri poterat, ut imperium suum obtinerent atque tuerentur ab impetu Lacedaemoniorum, in dies maiore aemulatione vexatorum. Nihil igitur Pericles antiquius habebat, quam ut omni modo sociorum res promoveret eorumque opes, quantum fieri poterat, adaugeret. Cum autem fere omnes civitates sociae essent mercatoriae et quicquid valebant non efficeretur, nisi mercatura luculenter facienda, ante omnia opus esse videbatur, ut maria pacarentur aditusque ad omnium populorum oras patefieret. — Sed pari modo et ad ipsos Athenienses pertinebat, maria ista sedari sedataque navibus negotiatoriis, ultro citroque commeantibus, denuo aperiri, quippe quae iusto diutius periculis belli a commercio prohibitae fuissent, id quod eo maiore incommodo fuit, quod ex regionibus mari Interno adiacentibus praecipue in Graeciam merces importabantur. — E terris quidem Asiae anterioris magnae frumenti copiae Atheniensibus suppeditabantur, cuius rei duo praesto sunt testes. In libello [125]), perperam Xenophonti vindicato, „περὶ Ἀθηναίων πολιτείας“, quisquis composuit, gloriatur: „ὅ, τι ἐν Σικελίᾳ ἡδὺ ἢ ἐν Ἰταλίᾳ ἢ ἐν Κύπρῳ ἢ ἐν Λυδίᾳ ἢ ἐν τῷ Πόντῳ ἢ ἐν τῇ Πελοποννήσῳ ἢ ἄλλοθί που, ταῦτα πάντα εἰς ἓν ἠθροίσθη διὰ τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης“. Alter est Thucydides, uno certe loco adhibendus [126]), ubi narrat, Athenienses sex naves, Melesandro duce, in Cariam et Liciam misisse „ὅπως ταῦτά τε ἀργυρολογῶσι καὶ τὸ λῃστικὸν τῶν Πελοποννησίων μὴ ἐῶσιν αὐτόθεν ὁρμώμενον βλάπτειν τὸν πλοῦν τῶν ὁλκάδων τῶν ἀπὸ Φασήλιδος καὶ Φοινίκης καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἠπείρου“ [127]). Nec minus mercatura inter Graeciam et Asiam quemadmodum

125) c. II. §. 7. — 126) Quomodo alter locus VIII. 35 explicandus sit, de ea re discedunt viri docti cf. Hieck. l. l. 41 sq., Wiskemann l. sub nota 140 accurate laudato p. 17, Bemmann. l. l. p. 14. — 127) II. 69.

floruerit, intellegere licet, quod e Phoenice et terris finitimis frumenta et alia multa Athenienses sibi petierunt [129]). Et iam Aeschyli temporibus negotia inter Athenienses et Phoenices fuisse, haud immerito colligi potest inde, quod poëta hanc terram abundare laudat [130]) tritico. Quam mercaturam et posthac aeque floruisse, per se quidem sat consentaneum sed etiam certis verbis a Xenophonte nobis proditum est [131]); sed omnino duo isti populi coniunctissimas inter sese habuisse videntur rationes [132]). — Rhodii frumenta et alias merces Athenas provehebant, ipsis videlicet supportatas ex aliis terris, cum vix credibile sit, illos affluxisse eiusmodi rebus ita, ut eas cum aliis communicare possent [133]). Sed gravius est, quod Atheniensibus magna eorum, quibus egebant, frumentorum vis redibat ex Cypro insula atque vel summi erat iccirco momenti, viam istam undique apertam nec ullo pacto commeatum perturbatum esse. Hoc autem loco id eo gravius est, quod ad hanc insulam ab Atheniensium navibus perveniri non poterat, nisi ut ad littora Persica satis prope accederetur. Haec autem mercatura, qualis et quanta fuerit, aliquo modo cognosci poterit, quod Andocides [134]) affirmat, ipso illo tempore [135]) quattuordecim naves frumentarias in eo esse, ut Piraeum intrarent neque haud ita multo post fore, ut eas aliae sequerentur, quippe quae iam paulo ante e Cypro profectae essent. Ex hac insula Athenienses praecipuae ligna [136]), vina [137]), olea [138]) et varia frumenta [139])

---

129) Hermippus ap. Athen. I. p. 28 a. cf. p. 29 b. c. d., Theophrast. hist. plant. VIII. IV. 3. — 130) Suppl. 553. — 131) Oecon. VIII. 11. — 132) cf. Wiskem. l. sup. 140. l. p. 17. adn. 8. — 133) cf. Polyb. V. 88 sq., ubi narratur, ipsos Rhodios a. 210 a. Chr. undique frumenti largitionibus adiutos esse. — 134) de redit. §. 20. — 135) habita est oratio a. 410. — 136) Plin. N. H. XVI. 203, XII. 11 sq. (Sillig). — 137) ib. XIV. 74. — 138) ib. XII. 109. XIII. 5. — 139) Ammian. Marcellin. XIV. 8. „tanta tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium eadem Cyprus ut nullius externi indigens adminiculi etc. Plin. N. H. XVIII. 67 sq. laudat tritici Cyprii bonitatem, cf. Xen. de rep. Ath. c. II. §. 7.

Athenienses accipiebant. — Nec minoris momenti erat, aditum in Aegyptum et Libyam patere, cum inde triticum, hordeum, amylum, cuiusvis generis legumina, acetum Athenas exportarentur [140]). — Satis utique quoniam demonstravi, cum ipsorum Atheniensium, tum sociorum, quanti interfuerit, regiones illas pacari neque negotiationem inter singulos populos diutius perturbari, nihil omnino remanet scrupuli, hanc potissimum fuisse pactionis vim ac rationem, si re vera post annum 449 commercia inter Graecos et Asiaticos summo cum studio restituta fuisse, ex Andocidis et Thucydidis locis supra laudatis, videmus. — Si cui de mercatoriis Atheniensium rebus verbosior fuisse videar, respiciat, minime a me alienum fuisse, eam, quae vera putanda sit, pacis naturam undique accurate collustrare, quod quidem, cum omiserit, recte Hieckio vitio vertit censor anonymus.

Sed utcunque Pericles operam navavit, ne commercium in illas regiones faciendum amplius impediretur, tamen non prorsus neglexisse existimandus est eos, qui quasi auctores totius belli fuerant, populares Asiaticos. Quorum rationibus quemadmodum inservierit, de ea re quaestio contortior ac difficilior est, quam quae paucis verbis expediatur.

Prius quam ad singula quaeque disceptanda transeamus, in universum praemittenda est confutatio Hieckii [142]), qui statuerit „a rege Persarum numquam rite dimissas esse illas (sc. Graecas) civitates". Verum contra id omnino recte se habet, quod Bemmannus [143]) attulit: „At enim Athenienses suis rationibus offecissent, ni illorum rebus consuluissent (respicit Jones) nec profecto proditionis crimen fugissent ea iuncta pace, qua ipsi, ne regi bellum inferrent, obstricti, socii ne a regis satrapis vexarentur, cautum non esset". Haec

140) cf. de hoc postremo loco ut universe de Atheniensium rebus mercatoriis Wiskemanni, praeceptoris dilectissimi, libellum: *„Die antike Landwirthschaft und das von Thünen'sche Gesetz"* in *„Preisschriften der Fürstlich Jablonowski'schen Gesellschaft.* VII. Lips. 1859". — 141) cf. Sybel Zeitsch. XI. p. 190 sq. — 142) l. l. p. 35. — 143) l. l. p. 13.

quidem a Bemmanno allata probabile potius reddunt, de hoc loco inter duos populos illos aliquid convenisse, sed re vera id factum esse certo docemur a Thucydide, qui sat plane duobus locis hoc indicavit. Apponimus igitur quae huc spectant verba integra:

I. „ὑπὸ βασιλέως γὰρ νεωστὶ ἐτύγχανε (sc. Τισσαφέρνης) πεπραγμένος τοὺς ἐκ τῆς ἑαυτοῦ ἀρχῆς φόρους, οὓς δι' Ἀθηναίους ἀπὸ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων οὐ δυνάμενος πράσσεσθαι ἐπωφείλησε· τούς τε κ. τ. λ. [144]).

II. „ὁπόσην χώραν καὶ πόλεις βασιλεὺς ἔχει καὶ οἱ πατέρες οἱ βασιλέως εἶχον, βασιλέως ἔστω. καὶ ἐκ τούτων τῶν πόλεων ὁπόσα Ἀθηναίοις ἐφοίτα χρήματα ἢ ἄλλο τι, κωλυόντων κοινῇ βασιλεὺς καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι, ὅπως μήτε χρήματα λαμβάνωσιν Ἀθηναῖοι μήτε ἄλλο μηδέν“. [145]).

Priore loco cum historicus Athenienses testatur ad id temporis vectigalia a provinciis redegisse, Persarum vero regem a Tissapherne satrapa reditus, ex istis terris poposcisse, altero loco simpliciter repetit ad Athenienses neque ad Persas pecunias expeditas esse. Quid, quod Darius a Tissapherne efflagitat, quae reapse Athenienses accipiunt? Hinc ex mea quidem sententia id, quod ad nostram quaestionem momenti est summi, demonstratur, Persarum regem, cum tam certo vectigalia expostularet, certa quadam conventione nisum esse, qua, quae ex istis regionibus redirent, concessa ei essent. Necessarium igitur puto e Thucydidis verbis statuere, in commentariis Persicis exhibitum fuisse, ea, quae rex a Tissapherne deposceret, vectigalia in aerarium Persicum redundare. — Sed praeter Thucydidem et Isocrates verbis „τῶν φόρων ἐνίους τάττοντες“ haud dubie significavit, de ea

144) VIII. 5. — 145) VIII. 18.

re aliquid constitutum fuisse. Denique, quanti rettulerit, quo provinciarum singularum tributa redirent, cum aliis ex locis, tum inde potissimum patet, quod postea, ubi Persae cum Lacedaemoniis pepigerunt, rex ab omnibus urbibus sibi soli pecunias pendi, ut diserte in pacis leges reciperetur, maxime curaret[147]). Nequaquam igitur est dubitandum, quin et hac pactione de Jonicis urbibus aliquid decretum fuerit. — Verum de singulis quibusque urbibus quanam ratione a. 449 pactum sit, definiri nequit, cum omni de hac re careamus testimonio, et cum ipsa rerum conditio tam ambigua incertaque sit[148]), ut ne inde quidem aliquid pro certo colligi queat. Aut enim ipsae civitates desciscebant ab Atheniensibus, nimis videlicet oppressae[149]), ut Antandrus 424[150]), Abydus, Lampsacus[151]), aut, si minus desciscebant, attamen vi coactae in Persarum ditionem veniebant, ut Casolabes urbesque Idae monti adiacentes Jelysos ac Berytis et Parparei. Id quoque non numquam fiebat, ut Athenienses Persis adimerent reditus, id quod vel Dascylii, in satrapae Mysiae sede, evenit[152]) itemque Tissapherni contigisse statuendum est[153]). — Accuratius cum vix haec res definiri possit singillatim, id pro certo affirmasse contenti sumus in universum, persaepe alios fuisse, quibus pactione vectigalia concessa essent, alios qui ea exigerent. Sed licet interdum qualibet causa prohibiti essent, quibus fas erat, ne vectigalia ex urbibus suis cogerent, tamen vix contenderim, eos in omne tempus de possessione sua decessisse etiamsi ius suum sibi eripi ad tempus paterentur necesse

---

147) Thuc. VIII. 18. — 148) de Jonibus diserte id affert Thuc. VI. 77 his verbis usus: *οὐκ Ἴωνες τάδε εἰσὶν οὐδ' Ἑλλησπόντιοι καὶ νησιῶται, οἳ δεσπότην ἢ Μῆδον ἢ ἕνα γέ τινα ἀεὶ μεταβάλλοντες δουλοῦνται, ἀλλὰ Δωριῆς κ. τ. λ.* — 149) cf. Plut. Per. XII: *καὶ δοκεῖ δεινὴν ὕβριν ἡ Ἑλλὰς ὑβρίζεσθαι καὶ τυραννεῖσθαι περιφανῶς ὁρῶσα τοῖς εἰςφερομένοις κ. τ. λ.* — 150) Thuc. IV. c. 52, ib. c. 75. — 151) Thuc. VIII. 62. — 152) de omnibus his rationibus cf. Boeckh Staatshaushaltung der Athener. 2 ed. 1851. t. II. p. 662, 663, 665 sqq. — 153) cf. sup. 52.

erat. Itaque rex Persarum poposcisse putandus est a Tissapherne, quod illum forsitan eo anno prosperius quam superioribus („ἐπωφείλησε“) impetraturum esse speravit. — Discrepant inter se Aem. Muellerus [154]) et Hieckius [155]), quae civitates Persis concessae fuerint, quibus dein certa summa plus ne imponeret magnus rex vetitus fuerit. Ille quidem de urbibus Cypri, Pamphyliae Ciliciae et verisimiliter etiam de compluribus Phrygiae et Lydiae urbibus id sancitum esse arbitratur, Hieckius autem Phrygiam et Lydiam ex earum numero eximendas esse putat. Quorum utri adstipuler, non haesito, cum Hieckio statuendum esse ratus, regiones ultra scopula Cyanea ultraque promontorium Chelidonium sitas, regis Persici ditioni permissas esse, cum in eis post istius pacis tempus eadem, qua Persae utebantur, numorum species deprehendatur [156]).

Quid denique iudicandum de urbibus in Atheniensium societatem hac pace redactis? Kruegerus [157]) prorsus infitias ire videtur, de eis liberandis vel potius, quod quidem magis spectabatur, Atheniensium potestati reddendis, quicquam pactum esse, idque affirmans nititur his Herodoti verbis [158]): „*φόρους ἔταξε ἑκάστοισι, οἱ κατὰ χώρην διατελέουσι ἔχοντες ἐκ τούτου τοῦ χρόνου αἰεὶ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ὡς ἐτάχθησαν ἐξ Ἀρταφέρνεος, ἐτάχθησαν δὲ σχεδὸν κατὰ τὰ αὐτὰ τά καὶ πρότερον εἶχον.*“ „*Wie*“ exclamat „*ist mit diesen Worten die durch den Frieden begründete Freiheit der kleinasiatischen Hellenen zu vereinigen*“. Optime me quidem iudice, ita enim, ut Graecos retinuisse censeamus pecuniae summam, quae urbibus inde ab anno 495 pensitanda esset. Quod idem video iam Kortuemium [159]) ante me coniectasse, quem cum Kruegerus impugnet, refu-

---

154) in mus. Rhen. l. l. p. 152. — 155) l. l. p. 33. — 156) cf. Brandis „Das Münz-, Mass- u. Gewichtswesen in Vorderasien etc.“ p. 220. — 157) l. l. p. 92. — 158) VI. 42. — 159) Zur Gesch. hellen. Staatsverfassung p. 50.

tare conabor, quod doctissimus vir contra illum protulit, cum ad me aeque pertineat eius obiurgatio. — Primum quidem Kruegerus quam maxime in dubium vocavit, num Herodotum, eum quidem alias verbis satis largum, hoc loco supersedisse credibile sit, expressis verbis indicare, Athenienses asservasse redituum rationem a Persis olim definitam. Sed id si scriptor non nuncupatim significavit, compensavit tamen quodam modo hanc verborum parsimoniam ea, qua haud obscure admirationem huius rei satis memorabilis notavit verbositate. — Verum ex eo ipso, quod per tantum temporis spatium idem manebat institutum, satis apparet, quam contenti eo fuerint et vectigalium redactores et ei, quibus solvenda erant. Neque cum Kruegero tam dementes fingere licet Athenienses, ut „recenti ac ferventi Persarum odio" imbuti probatam et semper ad huc spectatam legem antiquarent, qua vix ipsos meliorem inventuros esse exspectandum erat. — Quod deinde Kruegerus e quinquaginta talentis Magnesiae urbi reddendis, coniiciendum esse admonet, quae reliquis urbibus solvenda fuerint, mea quidem sententia eo exemplo minime uti debuit ille, cum eam urbem aliis plura pensitasse inde probabile fiat, quod ab Artaxerxe Themistocli dono data est. Equidem, quod aliquot urbes Graecae vel conatae sunt ad Persas deficere[160]), illuc potius adducor, ut existimem, Atheniensium sociorum nullo pacto fuisse meliorem conditionem, quam earum urbium, quae in regis Persarum ditione essent. Quid quod obstare contendit nostrae sententiae Kruegerus, quod a nonnullis civitatibus stipendiariis non pecuniae, sed naves redierint? Id non minus negaverim nimii momenti esse, quandoquidem, si Milesiis, Chiis, Samiis pro pecuniis naves imperatas esse perhibetur, non simul significatum est, eius summae, quam antea pependerint eae civitates, nullam omnino habitam esse rationem. Multo sane veritati propius, Athenienses in hac re mutanda pretia pecuniae et navium

160) Thuc. XVIII. 62 cf. sup. p. 53.

exaequasse et si omnino agnoscamus, Herodotum potius admiratum esse, quod pristina vectigalium aestimatio tam diu atque diversis dominis principatum tenentibus eadem retenta esset, adeo abhorruisse iudicandum est ab eius proposito, eiusmodi levem mutationem diserte commemorare. Neque Kruegerus tanti debuit facere, quod Athenienses tam saepe tributorum magnitudinem permutaverint, Herodoti verbis „*διατελέουσι ἔχοντες*“ parum favere, cum statim postea ille ipse concedat, in hunc locum non cadere, nisi quam Alcibiades Ol. 89. 3 effecerit permutationem. Sed ne eam quidem in suam partem revocare illi licet, cum ex computatione quam maxime probabali[161]) Herodotus tunc temporum non iam inter vivos esset, neque igitur de ea re scire posset. Quae cum ita sint, nihil valere videtur, quod Kruegerus contra Kortuemii sententiam supra a me laudatam protulit neque quominus in hac eadem opinione perseverem, argumento impedivit sat gravi. Itaque id sane affirmare licet, si minus omnes, at nonnullas certe Asiae provincias Atheniensium societati pace ista rite addictas esse, neque oratoribus nullam datum esse potestatem, ut prorsus alios praedicarent in populares Asiaticos sese praebuisse Athenienses, quam Lacedaemonios, quamquam in ea re praedicanda nimios illos fuisse nemo est, qui neget.

Videamus iam de tertia pacis lege, quemnam terminum utrorumque navibus longis impositum fuisse, maxime probabile sit. Probabile dico, nam certi quicquam affirmari vix potest, cum, quod Isocrates de cippo nihil recitat, nisi „*κωλύοντες αὐτὸν τῇ θαλάττῃ χρῆσθαι*“, omni de hac re careamus copiosiore testimonio. Quod cum ita sit, sciscitemur aliundene aliquid de hac re repeti nequeat. Nec vero omnino destituti sumus, sed rerum factarum, qualem postmodo valuisse a Thucydide proditur, conditio est ea, unde haud difficile coniectura de ipsa pacis ratione fieri possit.

---

161) cf. Philolog. t. IX. p. 211 sqq. disput. Ad. Schoell.

Thucydidis igitur verba sunt haec [162]): *Ἰωνίαν τε γὰρ πᾶσαν ἠξίου δίδοσθαι καὶ αὖθις νήσους τε τὰς ἐπικειμένας καὶ ἄλλα οἷς οὐκ ἐναντιουμένων τῶν Ἀθηναίων τέλος ἐν τῇ τρίτῃ ἤδη ξυνόδῳ, δείσας μὴ πάνυ φωραθῇ ἀδύνατος ὤν, ναῦς ἠξίου ἐᾶν βασιλέα ποιεῖσθαι καὶ παραπλεῖν τὴν ἑαυτῶν γῆν ὅπῃ ἂν καὶ ὅσαις ἂν βούληται"*. Sermo est hoc loco de legatione a. 412 a Pisandro eiusque sociis ad Tissaphernem missa, quae Alcibiade se interponente ab illo pecuniarum suppetias contenderet. Quibus a satrapa pollicitis, cum vicissim Graeci Joniam atque universas insulas iuxta sitas cessissent, Alcibiades „*ἠξίου ἐᾶν βασιλέα — παραπλεῖν τὴν ἑαυτῶν γῆν κ. τ. λ.*", quo facto legati amplius petere destiterunt, id quod ad totius loci interpretationem vel summi discriminis est. Neque enim vacuus est iste locus coniecturis virorum doctorum, quippe qui maxime disputaverint, utrum cum optimo codice „*ἑαυτοῦ*", an, quod deteriores exhibent, „*ἑαυτῶν*" scribendum sit. Verumenimvero, quod librorum manu scriptorum auctoritati, ut omnino toto illo libro, sic etiam hoc loco, minus momenti tribuendum est [163]), qui praeferendum putant singularem numerum, non nisi hoc argumento adducti, non satis recte agere videntur. — Quod cum intellegereut, alii [164]) obiecerunt, „*ἑαυτῶν*" qui scribere malit, rationes grammaticas neglecturum esse, sed ne ab hac quidem parte ei lectioni ullum impedimentum officere, iamdudum Kruegerus monuit [165]). — Exstiterunt denique, qui re. ipsa lectionem „*ἑαυτοῦ*" defendi demonstrare susceperunt De qrua e, quae priores in medium potulerunt, ne accuratius perstringamus, statim examinemus, quod, qui postremo eam rationem iniit, disputavit. Onckenius igitur haec verba fecit [166]): *„Die Lesart „ἑαυτοῦ" lässt sich sehr gut vertheidigen, wenn wir uns denken, dass nachdem die Athener in die Abtretung*

---

162) VIII. 56. — 163) cf. Krueg. l. l. p. 86. — 164) vid. Krueg. l. l. p. 87 adn. 1. — 165) ibid. — 166) l. l. p. 145 adn. 2.

Joniens gewilligt, der König die Küste einstweilen als die seinige betrachten durfte". Sed ex mea sententia, praeterquam quod ille artificiosius suspicatur elocutum esse Thucydidem, ita ut Persarum appellaret terram, quam statim antea Atheniensium esse diserte indicaverat, sequentia parum respexit, unde significavi, toti fere loco discrimen afferri. Quod enim legati propemodum ad omnia concedenda parati, repente pactiones praecidunt, id luculentissime demonstrat, Alcibiadem plura poposcisse, quam quae vel summa necessitate calamitateque circumventi accipere possent. Num vero Onckenio largieris, eos, qui totius Joniae insularumque adiacentium de possessione decesserint, indignatos haesitasse, cum, ut regi navigationem in istis regionibus permitterent, exposcerentur? Equidem hac re nimium sibi petiisse, tantum ac tale modo adeptos, minime concesserim, atque hac ratione quo pacto postulationis exaggerationem, hoc loco necessariam, assequamur, prorsus non video. Namque „*παραπλεῖν τὴν ἑαυτοῦ γῆν*" seorsum permitteretur necesse non erat, cum non nisi nave adhibita ad insulas, unde reditus exigendi erant, perveniri posset [167]).

Sed de altera quoque foederis propositione, verbis „*ναῦς ἠξίουν ἐᾶν βασιλέα ποιεῖσθαι (καὶ παραπλεῖν)*" expressa, aliquid monendum videtur. Kruegerum [168]) enim atque item Hieckium [169]), qui sequi illum sese confitetur, fugit, his verbis singularem quandam conditionem significari, et quanti momenti essent haec verba, prorsus ille praetermisit, cum in unam tamquam notionem coalescere affirmaret infinitivos „*ποιεῖσθαι* et *παραπλεῖν*", ita ut dictum esset, pro „*ποιησάμενον παραπλεῖν*". Recte quidem iam Bemmannus [170]) obiecit ex Kruegeri ratione abundantius, quam soleret, Thucydidem locuturum fuisse, sed adiicere debuit, eo minus tale quid ei imputandum esse, quod etiam alias pacis

---

167) eadem prorsus valent ad Bemmanni (adn. 40) sententiam infringendam. — 168) l. l. p. 88. — 169) l. l. p. 40. — 170) l. l. adn. 40.

leges, quantum fieri potest, brevi praecidit itaque eo longius abhorret verbositas ab hoc loco.

Quae cum satis in liquidum perducta videantur esse, iam quid inde ad nostrum consilium efficiatur, colligamus[171]). Quod Persae sibi concessum iri sperant insulas maris Aegaei et Joniae continentem, id clare demonstrat, antea regiones illas nondum eis paruisse. Tum ex hoc loco concludere licet, Persarum regem adhuc potestatem non habuisse naves aedificandi in urbibus Joniae, ubi architectura navalis maxime florebat, apparet denique, a maris Aegaei introitu prorsus illum prohibitum fuisse. Quod autem tertio loco Onckenius[172]) ex Thucydidis de pactione silentio colligendum statuit, ad eius opinionem rerum conditionem potius profectam esse ex bello ab utraque parte quamlibet ob causam composito, equidem cum illo viro non consentio, arbitratus hoc loco scriptorem omnino non attinuisse accuratius exponere, ad quam pacem respiceretur, cum potius ea, quae ista pactione convenerant, in censum venirent. Verumenimvero ex ea ratione, qua Persae Atheniensibus singulas leges proponunt, ad ipsius pacis Cimoniae placita remonstrari propemodum adducor, ut credam. Respondent enim verba Ἰωνίαν πᾶσαν κ. τ. λ. ei legi, ex qua tum aliquot neque omnes urbes Persis concessae fuerint, potestas vero navibus longis navigandi neque locorum neque numeri ullo termino imposito, verbis ὅπῃ ἂν καὶ ὅσαις ἂν βούληται data, nonne respicit id, quod antea Persae, ne Phaselidem urbem superarent, vetiti erant? Sed de ea re quicquid placebit, id certe tenendum est, a Thucydide, teste illo locupletissimo, confirmari, ante annum 412 Persis licitum nondum fuisse, mare Aegaeum navibus longis intrare. — Quaeritur iam, quid inde profluat lucis ad pacis Cimoniae rationem definiendam. Veri igitur est simillimum, in ea re oratoribus fidem habendam esse, quod utriusque populi navibus longis tunc terminum quendam irrogatum

171) cf. Oncken. l. l. p. 146 sq. — 172) ibid.

fuisse perhibent. Qua de re cum illi ipsi inter sese discrepent, accuratius explorandum est, utrum, quam plures memorant, Phaselis urbs, quae limitem praestaret, magis idonea videri potuerit, an potius, quas Demosthenes eoque posteriorum aliquot afferunt, Chelidonias insulas termini loco constitutas esse, probabilius sit. Ex eis, quae Onckenius[173]) de hac re disputavit, veritati propius videtur esse, Phaselidem urbem destinatam fuisse: *„Durch die Nat r seiner Lage war Phaselis geschaffen, die (thatsächliche) Grenze der beiden Seegebiete zu bilden; es war der Schlüssel der Gegenden, in welchen die persischen Flotten ausgerüstet wurden (Lykien, Pamphylien, Kilikien), und durch seine Bevölkerung der letzte (übrigens schlecht gesinnte) Ausläufer des Hellenenthums, von hier aus war jede feindliche Bewegung leicht zu beobachten, ein Andringen von Kriegsschiffen auf diesen Punkt war eine augenscheinliche Kriegserklärung an ganz Hellas, das gegenseitige Vermeiden aber, diesen Punkt mit Kriegsschiffen zu überschreiten, war die Anerkennung eines (thatsächlichen) Friedens, den keiner von beiden Theilen brechen wollte.“* Inde quoque, quod Athenienses in hac urbe, cuius possessio ne eis eriperetur, vel summopere erat cavendum, praesidia collocare omiserunt, non minus luculenter demonstrare mihi[174]) videtur, certa quadam conventione de ea re inita, locum istum alio propugnaculo facile supersedisse. — Chelidoniae vero insulae quomodo in pacis conditiones irrepserint, dilucide patet: oratores eas supposuisse videntur, ut insulis Cyaneis, pro limite septentrionali determinatis, item insulas opponerent in mari meridionali.

Quid denique de eo est iudicandum, quod oratores panegyrici etiam septentrionales exhibent terminos Persarum regi impositos esse, et ita quidem, ut copiis terrestribus Halys flumen, navibus insulae Cyaneae pro termino constituerentur?

173) l. l. p. 142. — 174) prorsus aliter de hac re iudicat Onck. l. l. p. 144. 3.

Plane id fictum esse, haud difficile est ad demonstrandum. Etenim Persarum omnino non rettulit, in Ponto navibus longis vehi[175]), itaque opus non erat, id mare ne peterent, ut vetarentur. Magis etiam, quominus eum terminum utrique populo praescriptum esse putemus, impedit, quod non solum Pericles expeditionem in Pontum suscepisse traditur[176]), sed etiam Lamachus octavo belli Peloponnesiaci anno Heracleam navigavit[177]). Utrumque autem contra pacis legem susceptum esse, eo minus statuere licet, cum tempore illo Athenienses potius omnem navasse operam constet, ut regis voluntatem sibi conciliarent[178]). Res igitur factae eis terminis statuendis parum favent atque omnino Athenienses tale quid concedere non poterant, nisi forte renunciaturi simul erant tributariis urbibus, in regionibus illis sitis[179]). — Nec magis cogitandum est de altero septentrionali termino, cum minime probabile sit, ab Halyos traiectu Persarum regem passurum fuisse, ut prohiberetur. *„Sollen die persischen Statthalter oder zinsbaren Landesfürsten in Lydien, Phrygien, Bithynien, Paphlegonien, Cilicien etc. gar keine Heere gehabt haben? fragte schon Mitford“* [180]). — Praeterea, qui certum quoddam spatium usque quaque a maris littore recedere, Persas spopondisse iactaverint, eos vel probabilitatis viam prorsus reliquisse, quis est, qui infitias eat? Nemini profecto in mentem veniet, ut neget, Sardes — hoc uno tantum exemplo opus est — copiarum Persicarum praesidio destitutas fuisse.

Confidentius etiam, quam de superioribus legibus, diiudicari poterit de ea lege, ex qua Athenienses a rege Persarum obstrictos esse veri est simile, ne Aegyptios etiam posthac auxiliis adiuvarent[181]). Quod facile concedet, cui

175) cf. Dahlmann l. l. p. 55. — 176) Plut. Pericl. XX. — 177) Thuc. IV. 75. — 178) Thuc. IV. 50. — 179) de Nymphaeo e. g. vid. Boeckh „Staatsh.“ II. p. 371. — 180) Dahlm. l. l. p. 47. — 181) Diod. Sic. XII. IV. dicit: ,,*ταῦτα* (sermo est de pac. Cim.) *δὲ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν στρατηγῶν ἐπιτελούντων μὴ στρατεύειν Ἀθηναίους εἰς τὴν χώραν ἧς Ἀρταξέρξης βασιλεὺς ἄρχει*“.

nobiscum, quod iam antea suo monuimus loco[182]), convenit, id potissimum regem ad pacem cum Atheniensibus ineundam commovisse, ut a sustentandis satrapis illos revocaret. Pericles autem facillime hoc largitus esse putandus est, quoniam id cum suis ipsius consiliis plane conspirabat, ut a longinquis istis susceptis Athenienses cohiberentur et adducerentur „εἰς φυλακὴν καὶ βεβαιότητα τῶν ὑπαρχόντων“[183]). Ea vero coniectura summam probilitatis vim nanciscitur, quod re vera Athenienses post annum 449 prorsus alienos videmus esse ab omni cum Aegyptiis communicatione, nec nobis occurrunt in maribus illis nisi mercatoriae naves.

Ut iam hanc commentationis partem ad finem adducamus, examinemus quanti momenti sit, quod Pissuthnes, Cariae et Lydiae satrapa, optimatibus Samiis contra Athenienses rebellantibus auxilium tulerit. Is enim, cum optimates illi, de insula exturbati, ad se confugissent, in patrocinium eos suscepit et septingentis militibus paratis Samios fugavit nobilibusque principatum reddidit[184]). Sane si ipse rex Persarum id molitus esset, pacis Cimoniae violasset leges, sed alia res est de satrapis, alia de rege, qui ipse pacem conciliavit. Namque ut omnino regni Persici satrapas satis libere potiusque ad suum ipsorum, quam ad regis arbitrium dominari videmus, sic magis id exspectandum erit de eo, quem postmodo vel a rege descivisse constat. Quapropter, quod nonnulli hac quidem re dubitationem fulserunt, num haud ita multo ante pax inter Graecos et Persas rite conciliata sit, id mea certe opinione minime totam rem in discrimen vocat. — Huc usque igitur, quicquid respiciendum est, cum iam satis accurate explanatum sit, haud ineptum videtur, quae de tempore ac ratione pacis Cimoniae effecimus, breviter comprehendere.

De anno, quo Graeci cum Persis pepigerint, minus licet

---

182) vid. supra p. 47. — 183) Plut. Pericl. XXI. — 184) Thuc. I. 115—117, Plut. Pericl. 25—28, Diod. XII. 27—28.

coniectare ex eis, quae antiqui scriptores de hac re protulerunt, quam ex tota, qualis tunc fuit, temporum ratione. Scriptores enim, opinione pacis vim gloriosissimam esse haud sat recte praeiudicata, procliviores fuerunt ad praeclaros istos successus derivandos ex rebus praeclare gestis, quo factum est, ut post victoriam Eurymedonteam hanc pacem confectam esse pervulgaretur. Unus Diodorus, (ut de Suida taceamus) alias quidem haud nimis accuratus in temporibus computandis, verum exhibuit pacis tempus, forsitan ad Timaeum sese applicans. Sed nihilo setius, omnium reliquorum auctoritate neglecta, eum sequendum esse rerum docet qui circiter annum 449 valebat status. Utriusque enim populi tunc est ea conditio, ut quam paratissimi videantur esse ad bellum inter sese componendum, quod tamen cum omnino Cimone vivo fieri nequiret, tum minime exspectandum est, quo tempore, splendidissima victoria apud Eurymedontem reportata, eius spes, Persarum opes prorsus infractum iri, ad summum fastigium evecta erat. De singulis, in quas convenerit, pactionibus coniectari facillime potest nec arbitrio uniuscuiusque nulla facultas est data. Sed quicquid placebit, hoc pro certo affirmandum in eaque re omnibus fere ad unum reor consentiendum esse, pacem nequaquam tales, quales oratores panegyrici ei affingerent, continere leges potuisse, quandoquidem minime ita comminutae erant Persarum vires, ut talia ab eis flagitari, talia possent impetrari. Etiamsi hac pactione id praecipue spectatum est, ut maria navibus negotiatoriis denuo aperirentur, tamen Athenienses aliquo certe modo Graecis Asiaticis consuluerunt et ita quidem, ut Persarum rex singulari quadam lege obstringeretur, ne definita summa plus ex urbibus Graecis, sibi stipendiariis, exigeret. Quae urbes fuerint, in universum cum iudicare liceat ex eo, qui navibus longis impositus est limite nec minus ex rebus numariis, satis probabile videtur esse, regiones ultra Phaselidem urbem sitas maximam partem Persarum ditioni subditas esse. De septentrionali termino hac pace alterutri

irrogato omnino cogitari nequit et quaecunque de hac re oratores exhibuerunt ut vana commenta de vera pacis historia prorsus releganda sunt. —

IV.

Qui pacem conciliaverit, disceptatur, denique pauca fiunt verba de significatione pacis.

Jam vero accedendum es ad postremum, quem nobis proposuimus locum, quonam legationis principe Athenienses pacem inierint. — Dubitare forsitan quispiam poterit, num haec disputationis pars digna reapse sit, quae seorsum ac subtiliter explanetur. Sed recte iam Hieckius, cum ostenderet, quanti momenti sit, quis pacem conciliaverit, indagare, probavit, „Calliae legationem et pacem ipsam inter se ita iunctas esse, ut si illam in dubium vocandam esse probetur, scriptorum, qui istas duas res colligaverunt, tota de pacc narratio in suspicionem veniat“ [185]). Addas, quod nullo alio modo, nisi si quaestionem de pacis conciliatore in liquidum perduxerimus, G. Herbstii refutare possumus de pacis veritate dubitationem. Sed cum in sequentibus, ut apparebit, ad alios quoque viros, cum hac gente coniunctos, recurrendum sit, ut definiamus eius Calliae aetatem, qui pacem Cimoniam composuisse traditur, omnes ab hac stirpe oriundos suo quemque loco enumerare optimum erit [186]). —

In universum monendum est, istam Calliarum et Hipponicorum familiam inter Athenienses non solum summis divitiis, sed etiam nobilitate insignem fuisse, quippe cum eis hereditate obveniret daduchiae munus, in mysteriis Eleusiniis suscipiendum, et cum semper amplissimum pacis conciliatorum officium obirent [187]). Id quoque peculiare erat familiae, quod Calliae et Hipponici nomina alternabant, nepos

185) l. l. p. 43. — 186) cf. Boeckh „Staatsh.“ I. p. 629 sqq., Krafft in Paulyi „Realencycl.“, Hieck. l. l. p. 43 sqq. — 187) Xenoph. Hell. VI. III. 4. —

igitur semper item apellabatur atque avus, quod, cum constanter retineretur, vel in proverbii usum abiit.[188])

De quo primo novimus, Hipponicus I.[189]) inhoneste magnas divitias sibi peperisse fertur, eius fratrem Boeckhius coniecit patrem fuisse Calliae I., exacerbatissimi Pisistrati adversarii[190]), quem Herodotus[191]) Pythia et Olympia vicisse narrat. Hipponicus II., cui cognomen fuit Ammoni, mirum quantum auxisse traditur rem familiarem, opes ab Eretriensi aliquo apud se depositas sibi vindicans, cum, quod omnes illi capti erant, reddere eas nequiret[192]). Callias II., „Λακκόπλουτος" cognominatus est, quod pugna apud Marathonem commissa Persam quendam, qui, ut libertatem sibi redimeret, foveam multo auro refertam ei commonstraverat, nihilo setius interfecerat solusque omnes divitias e scrobe sibi petierat[193]). Quo facto facultates promovisse dicitur ad ducenta talenta, quam ob rem „πλουσιώτατος Ἀθηναίων" appellabatur[194]). Sed omnino recte Boeckhius monuisse videtur, hanc fabellam ab osoribus inventam esse, praesertim cum aliqua occurrat discrepantia, utrum pugna Marathonia an alia fuerit. Omnes opes Callias II. dereliquit filio Hipponico III., qui uxorem suam, Calliae III. matrem, ante annum 451 e matrimonio dimisit[195]), in proelio apud Delium facto occisus est. Callias III. igitur sine dubio est ante annum 451 procreatus ex uxore, eo ipso anno repudiata. — Haec iam sufficiunt ad definiendum, qui Callias pacem Cimoniam conciliaverit, cum non nisi de Callia aut avo aut nepote cogitari queat. Kruegerus[196]) quidem prorsus negavit circa annum 449 Calliam II. etiamtunc legationis officio idoneum fuisse, quippe quem, cum iam anno 490, munere daduchi functus, in pugna Ma-

188) Aristoph. av. 284. — 189) sequimur Boeckhium l. l., qui ut facilius inter se discriminari possent, singulis quibusque numeri continui significationem tribuit. — 190) Herod. VI. 121. — 191) VI. 122. — 192) Heraclid. Pont. apud Athen. XII. p. 536 f. — 193) Plut. Arist. V, Schol. ad Aristoph. nub. 65, cf. Suid., Phot., Hesych. s. v. Λακκόπλ. — 194) Plut. Arist. XXV. — 195) cf. Hieck. p. 44 adn. 121. — 196) l. l. p. 132.

rathonia dimicaret, a. 449 ad minimum fere septuagesimum aetatis annum egisse necesse esset. Sed praeterquam quod, ut iam Hieckius [197]) monuit, satis lubricum est, si quis definire velit, quem annum egressus, aliquis inutilis fiat ad legationis principatum obtinendum, id obstat, quod idem Callias vel posteriore tempore, anno 445, a Diodoro legatus fuisse perhibetur [198]) in foedere tricennali cum Spartanis icendo. Namque de eodem sermonem esse Callia, qui pacis Cimoniae conciliator statim antea commemoratus fuerit, ultra omnem dubitationem positum videtur esse, cum Diodorus, si de diversis cogitasset, vix id expressis verbis significare supersedisset. Confirmat eius testimonium, quod Xenophon [199]) Calliam III., Hipponici III. filium, induxit admodum ostentantem, iam maiores saepius legationes obiisse idque munus in familia sua filium semper a patre accipere. Nulla igitur re impedimur, quominus Calliam II. hanc pacem paulo post annum 449 confecisse statuamus. Verum tamen Herbstius [200]), pacem multo demum posterius, intra annos 431 et 424, cadere computavit, Herodoti narratione nisus, ex qua simul cum Argivis Athenienses cum Artaxerxe egisse traditur. Quod statui non posse, ex eis, quae supra explanata sunt, luce clarius apparet. Nam Callias II., iam anno 490 fere tricenarius, fieri non poterat, ut tunc inter vivos esset, Callias III. autem eius nepos (qui a. 371 cum Spartanis de pace egit), cum haud ita multo ante annum 451 natus esset, minor fuit, quam cui legationis munere per aetatem fungi liceret. Quae cum ita sint, quod Herbstius de temporum ratione coniecit, omnino reiiciendum est [201]). *Constat igitur, de nullius nisi de Calliae II. persona cogitandum esse.* — Sed aggrediamur iam ad Herodoti locum, quem multifariam viri docti interpretati sunt deque quo,

---

197) l. l. p. 45. — 198) XII. 7. — 199) Hell. VI. III. 4 sqq. — 200) „Zur Geschichte der auswärtigen Politik Spartas etc.“ p. 49. — 201) cf. quae Steinius in adn. ad Herod. VII. 151, ad Herbstii videlicet coniecturam spectans, asseruit.

utrum ad pacem Cimoniam referendus sit necne, admodum illi disputaverunt. Examinandum nobis est, quid ad suam quisque rationem probandam attulerit ac dein, perpensis inter se argumentis, quid veritati proximum sit, statuere. Herodoti verba, quae huc pertinent, haec sunt: „*συμπεσεῖν δὲ τούτοισι καὶ τόνδε τὸν λόγον λέγουσί τινες Ἑλλήνων, πολλοῖσι ἔτεσι ὕστερον γενόμενον τούτων. τυχεῖν ἐν Σούσοισι τοῖσι Μεμνονίοισι ἐόντας ἑτέρου πρήγματος εἵνεκεν ἀγγέλους Ἀθηναίων, Καλλίην τε τὸν Ἱππονίκου καὶ τοὺς μετὰ τούτου ἀναβάντας, Ἀργείους δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον πέμψαντας καὶ τούτους εἰς Σοῦσα ἀγγέλους εἰρωτᾶν Ἀρτοξέρξεα τὸν Ξέρξεω εἴ σφι ἔτι ἐμμένει ἐθέλουσι τὴν πρὸς Ξέρξεα φιλίην συνεκεράσαντο, ἢ νομιζοίατο πρὸς αὐτοῦ εἶναι πολέμιοι· βασιλέα κ. τ. λ.* [202]). Narratur igitur hoc loco, quam varios et ambiguos Argivi se praestiterint in bello cum Xerxe facto eiusque rei causam Herodotus affert ipsos non celasse, sed aperte concessisse, insolentia fastidioque Spartanorum coactos se ad Persarum societatem se applicasse. Alios, pergit scriptor, Argivis exprobrasse, quod procliviores fuerint ad transeundum in Persarum partes, quocum optime conspirare id, quod verbis „*συμπεσεῖν*" etc. expositurus est. Kruegerus [203]) quidem hoc quasi fundamento utitur dubitationis, quod vel Herodotus, oratione obliqua in hac enunciatione adhibita, haud obscure se de Calliae legatione num vera esset, fluctuasse significaverit. Verum iusto plus vir ille doctissimus ex ista constructione collegisse videtur et equidem a me vix impetraverim, ut quicquam aliud existimem hac ratione Herodotum indicare voluisse, nisi ex rumoribus tantum hominum se de hac re cognovisse; quid autem sibi ipsi visum sit, accuratius afferre, omnino supersedit rerum auctor: mihi

202) VII. 151. — 203) l. l. p. 112 adn. 4.

potius ex Herodoti verbis effici videtur neque de Argivorum, neque de Atheniensium legatione certiorem nuntium pernotuisse [204]). Quod deinde Kruegerus [205]) et Dahlmannus [206]) negant, probabile esse, Herodotum verbis — „*ἑτέρου πρήγματος εἵνεκεν*“ — tam obscuris atque incertis, pacem istam gloriosissimam notare, cum potius aptissima ei oblata esset occasio, Atheniensium gloriam laudibus summopere efferendi, id non nimium ponderis habere persuasum mihi est, equidem potius istam verborum inopiam explicaverim inde, quod omnino scriptor mentionem iniecit rei sibi ipsi minime exploratae. — Neque magis fecerim cum Herbstio [207]), qui obscurius, quam assoleret, suspicatur scriptorem locutum esse, cum statuat „*der begeisterte Hellene musste sich so lange wie möglich gegen die Anerkennung einer Thatsache* (sc. quod omnino Athenienses in se admiserunt, ut cum Persis pepigerint) *sträuben, die seine Vaterlandsliebe, die sichtliche Triebfeder seiner Darstellung des Befreiungskriegs, so schmerzlich berührte*“. — Sed ne defuerunt quidem, qui Dahlmanno auctore his verbis non solum pacem parum convenienter indicatam, sed potius rem pactioni prorsus contrariam expressam esse contenderint. Neque tamen id ex elocutione, qua historicus usus est, elici potest, cum verbum „*ἕτερος*“ rem significet non contrariam, sed aliquo modo diversam. Rectissime igitur iudicare videtur Larcherus [208]) hunc fere in modum interpretatus: „pour quelque autre affaire. Il y a dans le grec: pour une autre affaire, c'est à dire pour une autre affaire que celle, pour laquelle y envoyoient les Argiens. Cette affaire étoit la paix avec les Perses“. Quibus quod obiecit Dahlmannus [209]), fere eodem redire, si et Athenienses et Argivos de pace egisse statueremus nec tum suum habere verbum *ἑτέρου* posse, iam Hieckius recte monuit, aliud mo-

204) cf. Dahlm. l. l. p. 13. — 205) l. l. p. 112 sq. — 206) l. l. — 207) l. l. p. 48. — 208) eius sententiam cognovi ex Dahlm. l. l. p. 18 adn. — 209) l. l. p. 13 adn.

liri, qui amicitiam numquam dissolutam renovaturi, aliud qui bellum composituri sint. Neque accedendum erit eorum sententiae, qui, cum locum Herodoteum ad pacem Cimoniam referendam esse negarent, vario modo [210]), quid legati a Persarum rege aliud impetrare voluerint, disputarunt. In qua re, quo minus ex verbis „πολλοῖσι ἔτεσι ὕστερον“ probabilem computationem instituere licet, eo magis arbitrio lusuique ingenii ansa data, alium fere alio modo de legatorum consilio iudicare videmus. Omnino non attinet, hoc loco, quid magis, quid minus verisimile sit, investigare, cum universius dictum sit ab Herodoto de tempore, quam unde subtiliter annus quidam certus colligi possit. Neque igitur, qui ab illo pacem Cimoniam respici infitias iverunt, neque qui eam significatam esse nimis confiderenter asseruerunt, calculo uti videntur satis cauto et accurato. Quam ob rem tutissimum et id quidem rectissimum arbitror, in medio relinquere, utrum Herodoto pax Cimonia obversata sit, necne: eodem iure de ista pace atque de quavis alia conventione cum Persis inita cogitare nobis licet. Attamen id utique respiciendum est, Herodotum, cum ab ipso proposito declinaret, verbis paucissimis de ea re usus, putandum non esse rei mentionem inseruisse memoria prorsus indignae.

Eandem fere sententiarum discrepantiam deprehendimus apud antiquos et apud recentiores auctores, cum quaeratur, quo Calliae legatio evaserit. Jam veteres de ea re in partes discesserunt prorsus contrarias et Calliam aut summis honoribus ornatum, aut, cuius quidem rei unus testis est Demosthenes, mulctatum esse prodiderunt. — Initium igitur sumamus a Demosthenis narratione, qui, quanta maiores fuerint semper et ubique iustitia, quippe qui nullum peccatum non punirent, sive detrimentum sive emolumentum rei publicae attulerat, insigni quodam exemplo probaturus ἐκεῖνοι (sc. maiores) τοίνυν“, exclamat, „ὡς ἅπαντες εὖ οἶδ᾽ ὅτι

210) cf. Herbst l. l. p. 51, Bemm. l. l. p. 51.

τὸν λόγον τοῦτον ἀκηκόατε, Καλλίαν τὸν Ἱππονίκου ταύτην τὴν ὑπὸ πάντων θρυλουμένην εἰρήνην πρεσβεύσαντα ἵππου μὲν δρόμον ἡμέρας πεζῇ μὴ καταβαίνειν ἐπὶ τὴν θάλατταν βασιλέα, ἐντὸς δὲ Χελιδονιῶν καὶ Κυανεῶν πλοίῳ μακρῷ μὴ πλεῖν, ὅτι δῶρα λαβεῖν ἔδοξε πρεσβεύσας μικροῦ μὲν ἀπέκτειναν, ἐν δὲ ταῖς εὐθύναις πεντήκοντα ἐπράξαντο τάλαντα"[211]). His verbis fidem derogare conati sunt nonnulli, in Demosthenem hic cadere rati, quod universis oratoribus Cicero concessum esse perhibet „ementiri in historia, ut aliquid dicere possint argutius". Inter quos Meierum affero, qui utramque famam (sc. Calliam Susa ablegatum, reducem autem mulctatum esse) coniunxisse suscipatur Demosthenem ita, ut „Calliam ob male obitam legationem hanc dedisse mulctam traderet idque eo libentius, quod e re sua erat, cum Aeschinem hac oratione male obitae legationis accusaret" [212]). Sed tale quid Demosthenem commisisse, Hieckius[213]) multum abest, ut concedat acerbeque invehitur in Kruegerum et Meierum, qui id criminis in oratorem conferre non reformidarent. Quodcunque vero de auctoritate Demosthenis in universum statuere placebit, sive eum magis e consilio suo historiam pervertere dixeris[214]), sive prorsus ab isto vitio alienum iudicaveris, hoc loco equidem fidem ei habendam esse arbitror. Illuc enim attendendum est, quod Demosthenes his verbis exponit rem, per se quidem satis suspectam. Quis enim non potuit non mirari, quantum intercederet inter praeclarissimas istas — quales ipse orator exhibet — conditiones et asperitatem, qua, quod Athenienses usi fuerint, idem scriptor laudi eis vertit? Ex ipsa igitur hac oppositione inter ea, quae pacis conciliator praestiterit et ea, quae illi a civibus suis obtigerint, colligendum esse existimo, Demosthenem veram protulisse rem, cum sine dubio

211) *περὶ τῆς παραπρεσβ.* §. 273. — 212) Meieri verba integra excitavit Hieck. l. l. p. 47. — 213) ibid. — 214) cf. Dahlm. p. 60 s. f.

sibi ipsi audacius agere videretur, si quis tale quid commentum aliis probaturus erat. — Sed non solum ab hac parte, sed etiam ab altera Bemmannus[215]) de auctoritate Demosthenis in hac quidem narratione dubitandum esse iudicavit. Offenditur non minus ea re, quemadmodum fieri potuerit, ut a rege Persarum donis liberaliter decoraretur, qui de pace ista ageret, quippe ex qua minime ad Persas magna redundaverint commoda, neque omnino ille causam fuisse videt satis idoneam, cur Atheninses tanta exarserint in Calliam iracundia. Quae Bemmannus deinde contra Muelleri sententiam protulit, cum, quo pacto contra eum valeat, intellegi nequeat, minime dubito, utrius sententiam laudem. Corruptionem enim ne statuamus id vetat, quod rex fructus ex ista pace cepit minores, quam qui a legato, donis corrupto, concessi videantur esse, omnino igitur, quantum equidem sentio, nihil aliud relinquitur, nisi ut Muellerum secuti[216]), de dono liberali a rege in Calliam collato cogitemus. — Oiiciat forsitan quispiam, Athenienses iniustius egisse tantam mulctam Calliae irrogantes, quamquam eum ne minimum quidem hoc regis beneficio ad Atheniensium res minus bene administrandas impulsum fuisse in propatulo esset. Verum tamen respiciendum est, tunc temporum Athenis etiam permultos fuisse[217]), qui post Cimonis mortem bellum contra Persas continuandum nec prius acquiescendum desiderarent, quam, quod Cimon et qui cum eo stabant, contenderant, omnium Graecorum Asiaticorum libertas impetrata esset[218]). Quorum animi quam exacerbati fuerint infestique in Periclem, pacis utpote conciliatorem, inde colligere licet, quod, cum nimia discordia partium rei publicae salus periclitari videretur, testarum suffragium inibatur, utrum Pericles an Thucydides Melesiae filius de patria discederet[219]), unde simul opinor coniiciendum est, quanta fuerit eorum, qui Thucydidem sequebantur mul-

215) l. l. p. 49. — 216) in Mus. Rhen. XIV. p. 152. — 217) cf. Oncken. l. l. p. 152. — 218) cf. Plut. Cim. XX et XXI. — 219) Plut. Pericl. XIV.

titudo. Pariter ut ab eadem factione perfectum fuisse facile agnoscimus, ut Callisthene [220]) auctore Pericles quinquaginta navibus ultra insulas Chelidonias vehi cogeretur [221]), nulli omnino hostium navi obvius, sic etiam probiliter eis potissimum hominibus culpae dandum est, quod, quominus bellum pace componeretur, si non impedire poterant, at tamen animis admodum exasperatis satisfacerunt, legatorum principi proditionis crimine allato. Quid viro mireris, quod damnatus est Callias a pluribus, quippe quibus Periclis adversarii alias et eas quidem multo praeclariores pacis leges a Persis adipiscendas fuisse ostendissent? Demosthenis autem de narrationis fide eo minus dubito, cum, quod reliqui prodiderunt, haud facile cuiquam credibile esse possit. Quis tandem eo induxerit animum, ut, qui talem, qualem reapse initam esse demonstravimus, pacem conciliaverit, in eum tot ac tales honores congestos esse exploratum habeat? Plutarchus quidem satis habet de honoribus, Calliae habitis, in universum attulisse, satis eos amplos fuisse [222]), Pausanias autem accuratius illustravit, qnemadmodum insignitus ille fuerit, iuxta Amphiaraum et Pacis signum Calliae imaginem statutam fuisse perhibens [223]). Sed eis auctoribus fides habenda est

---

220) Plut. Cim. XIII. — 221) cf. Onck. l. l. p. 151. — 222) Cim. XIII: „*φασὶ δὲ, καὶ βωμὸν εἰρήνης διὰ ταῦτα τοὺς Ἀθηναίους ἱδρύσασθαι καὶ Καλλίαν τόν πρεσβεύσαντα τιμῆσαι διαφερόντως*“. — 223) I. VIII. 3: „*ἐνταῦθα Λυκοῦργός τε κεῖται χαλκοῦς ὁ Λυκόφρονος καὶ Καλλίας ὃς πρὸς Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου τοῖς Ἕλλησιν ὡς Ἀθηναίων οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ἔπραξε τὴν εἰρήνην*“. Hac occasione oblata, non possumus non respicere ad ea, quae Kruegerus (p. 77 adn. 1), nimia pacis veritatem negandi libidine abreptus, ex his Pausaniae verbis suae ipsius rationi percommodam, a probabilitate vero nimis recedentem sententiam exsculpsit. Verbis enim *ὡς Ἀθηναίων οἱ πολλοὶ λέγουσιν* haud obscure censet exprimi, ex opinione Pausaniae pacem non nisi iactationibus Atheniensium pervulgatam esse, ac simile quid vir ille doctissimus ex articulo verbo *εἰρήνην* apposito elicuit, eum valere arbitratus pro notione verborum „*τὴν περιβόητον, τὴν ὑπὸ πάντων θρυλουμένην*. Impugnavit Boeckhium, qui Pausaniae dubitationem ad personam Calliae tantum spectare censuerit,

nulla neque Bemmannus [224]) hac sententiarum discrepantia dubitationem de pacis veritate quam maxime fulcire debuit, cum praesertim non delitescat, quo factum sit, ut tam di-

---

atque ostendit, ne id quidem vetare, Pausaniam omnino pacis veritatem in dubium vocasse. Inde enim, quod semper nomina eorum, qui conventionem iure iurando firmarent, simul in cippo, pacis leges continente, subscriberentur, effici, ut qui de Callia, num pacem composuerit, dubitarent, simul de integritate monumenti indeque de veritate ipsius pacis haesitarent. Quae argumenta fere nihil valere et ipse puto (cf. Hieck. l. l. p. 48 adn. 136), nam in quo monumento redintegrando nihil spectabatur, nisi ut ipsae pacis leges afferrentur et in quo vel pacis tempus haud satis dignum videbatur, (cf. Hieck. l. l. p. 30), quod adscriberetur, in eo, qui legationis munere perfuncti sint, singulos nuncupatim allatos esse, vix quisquam merito desiderare potest. Verumenimvero ex mea quidem opinione ad istas coniecturas nobis confugiendum omnino non est et verba si ipsa sequamur, neutra Pausaniae dubitatio admitti poterit, neque de Callia pacificatore, neque de pacis veritate, verum aptius sic videtur statuere, ut scriptor, ea dicendi ratione usus, nuntium de oribus potius hominum, quam ex monumentis et eis quidem certioribus testimoniis sese hausisse indicare voluerit. An cuipiam credibile est, rerum auctorem, cui certa argumenta in promptu essent, quibus sententias perversas facile reiicere liceret, tam obiter tamque ambigue tetigisse hanc rem, cum potius illius esset, ut omni contentione, ne magis inveterascerent falsae istae opiniones, obniteretur. Sed qualemcunque rationem inibis, nullo modo Kruegero adstipulaberis, qui summopere intentus ad indaganda testimonia, quibus pacis rumorem non nisi in vanis Atheniensium iactationibus positum esse affirmaretur, ex verbis „ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν“ effecit, postmodo Athenienses universos de pacis veritate dubitasse. In qua re cum nimium se fuisse ipsi forsitan intellexisset, paulo inferius (p. 123) eam versionem angustius circumscripsit et modo ad eruditos pertinere notionem interpretatus est, quod tamen et ipsum minime ferendum est. — 224) l. l. p. 49. — Quod ille vir, qui iterum atque iterum, ne quis ulterius in coniecturis faciendis prolabatur, monet, statuendum esse putat, „omnem (de legatione) famam eo niti fundamento, ut non tam paci fidem augeat, quam suspitionem praebeat, Calliaeque nomen sive errore, sive consilio, aliunde certe ad pacem ornandam accitum eique legati personam impositam esse“, (p. 50) omnino de hac sententia plura proferre supersedeo, quandoquidem omnia, quae de hac re exhibuit „nonnisi coniectura continentur“.

versa ratione de hac re scriptores proderent. Omnino enim respondet haec de Calliae legatione controversia totius pacis historiae, ex qua alii pactionem non dignam putabant, quae accuratius memoraretur, alii eam iusto plus praedicabant. Ad Calliae autem statuam quod attinet, eam probabile est postmodo demum exstructam esse, postquam Demosthenes in oratione, „περὶ τῆς παραπρεσβείας“ habita Calliae quinquaginta talentis mulctati meminisset, quin adeo id certo confirmatur eo, quod Ulpianus, vetus Demosthenis commentator [225]) ostendit, statuae honorem ex Harmodio et Aristogitone usque ad Cononem nulli tributum esse ab Atheniensibus [226]). Verum tamen cum his quomodo conspirat, quod Pausanias enarravit? nonne ei credamus licet? Sane, at enim haud veri caret nota, Athenienses, cum pacis Cimoniae memoriam reficiendam curarent cippo publice statuendo, ei qui legatorum princeps fuisse proderetur, gratiam rettulisse legationis successui, qualis tunc ferebatur, magis consentaneam [227]).

Ut alias fecimus, iam et hac particula ad finem adducta, breviter libet adumbrare, quicquid de Calliae legatione nobis evicisse videmur. — Demosthenes quidem, nescio unde mutuatus, haud ignorat, Calliam mulcta affectum esse, sed rursus, quae prorsus ab ea re abhorrent, in gloriosissimas conditiones perhibet convenisse. Plutarchus et Pausanias provocant ad honoris signa, quibus Athenienses Calliae serum referebant praemium, cum etiam leges splendidiores pactas esse percrebruisset. Herodotus denique, num de Callia II. Cimoniae pacis conciliatore cogitaverit, dubitari potest. Verumenimvero Demostheni soli credendum est, Calliam ubi Athenas rediisset (a Periclis adversariis) proditionis crimine arcessitum et quod dona, a rege (liberaliter) in eum collata, accepisset, quinquaginta talentis muctatum fuisse.

225) cf. Dahlm. p, 83. — 226) cf. Paulyi „Realencycl.“ s. v. Callias. 2), Dahlm. l. l. p. 83, Boeckh „Staatsh.“ I. p. 3?4 c. adn. — 227) cf. Hieck. l. l. p. 48.

Totius vero disputationis finem facturis haud ineptum erit, paucis exponere, unde significatio istius pacis satis admirabilis deprompta esse videatur, cum praesertim a nullo, quantum scio, de hac re adhuc disputatum sit. Viri docti [228]) quidem diserte significarunt, quam absurda esset haec pacis determinatio, sed nemo in rem accuratius inquisivit. — Satis demonstravi eis, quae antecedunt, huius pacis conciliationem non nisi Pericle auctore effectam esse, eum autem, unde pax perperam nominata esset, tantum abfuisse a foedere cum Persis ineundo, ut potius illo superstite numquam futurum fuisse putandum sit, ut Athenienses cum Persis paciscerentur. Nihilo tamen setius pax appellatur „Cimonia". Haud quisquam dubitabit, ab eis hoc nomen inventum esse, qui oratorum scriptis nisi, eam post pugnam Eurymedonteam convenisse colligerent. Ad Cimonem autem relata est pax, quod Cimonis potissimum virtuti deberi videbantur omnia ista, quae oratores de iure suo cessisse comminiscebantur magnum Persarum regem. Sed cum in egregio errore versatos esse populi assentatores, nec minus eos, qui illorum iactationibus patientes praeberent aures, nostrum neminem fugiat, tamen nullo pacto probari poterit, si quis nomen illud, tot saeculorum usu contritum itaque quasi sancitum,

---

228) Muell. in Mus. Rhen. XIV. p. 153, Krueg. l. l. p. 74. — 229) Iam ea dissertationis capita, quo proprie, quod sequitur, spectat, typis excussa erant, cum mihi altera pars commentationis, ab Aemilio Muellero de pace Cimonia proximo anno in progr. Fribergensi conscripta, (editus est index mens. Dec.) in manus tandem (cf. adn. 9) incidit. Itaque hoc demum loco referam testimonium pacis re vera conciliatae a Livio (lib. XXXIII. c. 20) nobis proditum, quod quidem, quantum equidem scio, Muellerus primus inter omnes in censum vocavit: „ne Chelidonias superaret — promunturium Ciliciae est, inclutum foedere antiquo Atheniensium cum regibus Persarum". Omnino non opus est, pluribus verbis exponere, qualis ac quanti momenti sit, quod. testis ille locupletissimus, Polybius, — ex eo enim haud dubie (cf Mueller l. l. p. 5) verba ista mutuatus est Livius — claris verbis indicavit, re vera olim confectam esse pacem inter Athenienses atque Persas

tollere ac novum quoddam substituere velit. Addas, quod alio nomine exhibito, nemo fere intellecturus esset, de qua pace cogitaretur. Quam ob causam et ipse acquievi in usitata significatione et alios secutus huic libello inscripsi „de pace Cimonia“, quamquam rectius haud dubie sese haberet „de pace Periclis“, si quidem pactionem ad ipsum potius auctorem, quam ad legatum quendam referremus. [229])

Quamquam etiam de nonnullis aliis locis, quod a Muellero, viro illo doctissimo, in medium prolatum est, omnino mihi placuit, nec non hic illic eum rectius cogitasse facile concesserim, tamen alia addere non licuit.

Sententiae controversae.

I.

Philologus, quamdiu in academia versatur, quam potest multos scriptores amplecti neque, ut persaepe fit, ad unum auctorem fere solum omnia referre debet.

II.

Cleon Atheniensis vir bonus ac patriae amantissimus.

III.

Ovidius ex scholis minime est expellendus.

IV.

Complures eiusdem litteraturae auctores simul in superioribus gymnasiorum classibus tractandi.

V.

Propertium lib. I. eleg. VIII v. 13 sq. (Haupt) ita dixisse coniecerim:

„Atque ego non videam talis obtingere ventos,
Queis tibi provectas auferat unda rates“.

VI.

In Thucyd. lib. I. cap. 33 s. i. legendum videtur „καταθῄσεσθε“.

VII.

Ibid. lib. VIII. cap. 56 s. f. lectionem ἑαυτᾶν praeferendam esse iudico.